

Ve  
1892

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>I</sup>O INAUG<sup>U</sup>RAL  
QVR. 181. 32  
TURIDICA  
DE INGENIIS  
ОИТМОД ЗА ИНГЕНИИ

# CONCORDIA

Quam  
Occasione

Recess. Imp. noviss. §. 20. v. t. Ordinat. Process. Elect. Saxon. tit. 1. §. besonders  
etc. juncta Ordinat. Jud. Saxo-Goth. Part. 2. tit. 6.

AUXILIANTE DEO  
AUTORITATE ET DECRETO  
MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS  
IN ILLUSTRI SALANA

PRÆSIDE  
DN. HENR. BALTHAS. ROTHIO,

JCto, Consil. Saxon. & Schwarzburg. Antecessore, nec  
non Collegii Juridici Decano

PRO X 1975226

## LICENTIA DOCTORALI,

& summis in utroque Jure honoribus Privilegiisque legitime  
consequendis

IN COLLEGIO JURIDICO

D. 7. Maj. Anno 1687.

Horis Ante- & Pomeridianis

SOLENNITER EXAMINANDAM PROPO<sup>N</sup>IT

JOH. ERNESTUS BAHN,

Wittenbergensis.

LITERIS BAUHOFFERIANIS.



SERENISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO  
DOMINO  
**ALBERTO,**  
DUCI SAXONIÆ, IULIÆ, CLIVIÆ  
AC MONTIUM, LANDGRAVIO THURIN-  
GIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, COMITI  
PRINCIPALI DIGNITATE HENNEBER-  
GIÆ, COMITI MARCÆ ET RAVENS-  
BURGI, DYNASTÆ IN RA-  
VENSTEIN  
DOMINO SUO CLEMENTIS-  
SIMO

*Dissertationem hanc Inauguralem*

*devotissima subjectione*

*consecrat*

Joh. Ernestus Bahn.





# I. N. D. N. J. C.

**R**eipublicæ cum maximè intersit, ut, quantum fieri potest, Concordia, quæ in omni Civitate maximā vim habet, vigeat floreatq; inter Cives, Adamus Kellerus de offic. Jurid. Pol. lib. 2. cap. 7. p. 322. Ventura de Valentis s. Jurga - Valentinus Wynthier in Partbenio Litigioso lib. 2. cap. 4. n. 19. Cordi semper curæque fuit summis rerum Moderatoribus & Conditoribus ut bene sibi in vicem cupientes in ea conservarentur, discordantes verò in unitatem ac mutuam amicitiam redigerentur, Franzk. Pichard. & Rittershus. Comm. Instit. ad Tit. de Pœn. tem. litig. in pr. Hinc Spartani haud minus scitè quam verè dixerunt: Non firmitate murorum lateritiorum aut sepimentorum ligneorum invictam censemendam Civitatem, sed virtute Civium Concordium, qua nullum firmius munimentum, Liber acephalus, cuius titulus est: Institutio Viri privati, & Publici & Aulici, Part. 6. conclus. I. Cum vero nulla res sit, quæ Concordiam & Civium inter se consensum magis turbet, Remque publicam infestet, quam litium multitudo atque frequentia, danda opera est, ut earum luxuriosa seges præcidatur non tantum, sed &, si qua fortè orta, tempestivè ac in herba quasi supprimatur vel prorsus evellatur, Vinnius ad pr. Inst. d. t. Id quod etiam sacratissimus Imperator Justinianus, exemplo Veterum, qui magnam curam egerunt, ne facile homines ad litigandum procederent, præstitit, dum triplici ratione, modò pecuniaria pœna, modò jurisjurandi religione, modò infamiae metu coercuit, & freno quasi quodam cohibuit temerè litigantes, pr. Inst. eod. conf, Lindemannus in Exercit. Justinian. ad tit.

eund. n. i. quin & si jam processissent ad litigandum, quam celerimè lites dirimivoluit, ut cuvis L. Optimam 14. C. de Contrab. & commit. stipul. & L. Litibus 20. C. d. Agric. & Censit. & Colen. insipienti ad oculum apparebit. Quia vero hoc nostro seculo pœna temerè litigantium tantum in Institutis tractatur, raro in Praxi observatur, teste Vent. de Valent. lib. 2. c. 6. n. 10. & lites, verba sunt L. Properandum 13. C. de Judic. fiunt penè immortales, atque vita hominum modum excedunt, Concordia ad evitandos maximos sumptus aliaque incommoda sedulo semper inter partes litigantes, antequam ad Processum deveniatur, est tentanda, sicut admodum salutariter in Recess. Imp. noviss. de anno 1654. §. Zivertens soll der Richter / Ordinat. Process. Elect. Saxon. Tit. i. von Richterlichen Ambt / §. besonders aber wollen wir. nec non Saxo-Goth. Part. 2. tit. 6. præcipitur. Dum verò illa à Judicibus ut plurimum hodie, si non plane negligitur, oscitantur tamen, & dicis solummodo causa, ut bona consuetudini satisfisse videantur, tractatur, Oldekop. in Tr. de Juramento in alter. anim. p. 23. n. 134. idè accepta à Magnifico almæ hujus Salanæ Senatu Juridico disputandi licentia, temperare mihi non potui, quin ea, quæ de hac materia in LL. & apud DD. sparsim habentur, in unum quasi fasciculum colligerem, ac loco Dissertationis Inauguralis publicæ Eruditorum censuræ submitterem. In ea enim cum Waremundo ab Erenberg. in Meditam. pro fæder. c. i. n. 186. firmiter hæreo opinione; satius esse ex variis prudentiæ Autoribus optima quæque congerere, quam propriæ industriæ viribus excogitata periculosè proferre, impr. cum finis Disputationum Academicarum potissimus sit, ea, quæ passim habentur, alio modo aliave facie proponere, atque veritatem eorum indagare. Ne autem sine ordine procedere videar, allegati modò tit. atq; §§. ex Recess. Imp. & Ordinat. Judic. Saxon. instar cynosuræ mihi erunt, ad quorum ductum præsentem hanc materiam, pro concessa ingenii copiola, elaborabo. Ceterum cum universa tum demum bene & competenter geruntur, si rei principium fiat decens & amabile Deo, Novell. 6.

15



¶ 164. in Prefat. meritò animum meum ad Dei omnipotenti erigo adjutorium, L. Deo autore 1. pr. C. de V. J. E. & vestigiis laudatissimi Imp. Justiniani insistens, in nomine Domini nostri Jesu Christi sicut ad alia consilia, ita quoque ad præsentem hunc laborem progredior, vid. L. In nomine 2. C. de Off. Pref. Præt. Afr.

## NUM. I.

**G**uanquam teste Celso in L. Scire 17. ff. de LL. & Ulpiano in L. Si quis 3. §. Conditio 9. ff. de Adim. l. transf. legat. major rerum quam verborum habenda sit cura, nihilominus tamen cum & Jcti eam non semper susque deque habuerint, L. Juri 1. ff. de J. & J.L. Et primo 2. §. verba 2. ff. ad SClum Vellej. L. furtum 1. ff. de Furt. Labeoque maximæ alioquin autoritatis inter alia magnificè extollatur, quod Latinarum vocum origines rationesque percaluerit, eaque præcipue scientia ad enodandos plerosque juris lageos usus fuerit, L. Necessarium 2. §. post hunc 47. ff. de O. J. A. Gellius Noct. Attic. lib. 13. cap. 10. pauca, ne verbosa nimis fiat disputatio, quæ ad tituli explicationem facere videbuntur, antequam ad materiæ interpretationem perveniam, præmittere animus est, pr. Inst. Quodcum eo, qui in al. pot. est & c. L. Ere 1. ff. de Reb. cred. in primis cum rerum exacta cognitio a genuino verborum dependeat intellectu.

## II.

Concordiam à concordando derivari extra dubitationis aleam possum reor. Concordare verò idem significat, quod convenire. Nam sicuti convenire dicuntur, qui ex diversis locis in unum locum colliguntur & veniunt; ita & qui ex diversis animi s. cordis motibus in unum consentiunt, id est, in unam sententiam decurrunt, convenire s. concordare dicuntur, V.L. Hujus editi 1. §. conventionis 3. ff. de Pact. Et Concors dicitur ab uno corde, de eo, qui conjunctum cor cum alio habet, s. qui est ejusdem cordis, i. e. mentis s. animi; Hinc **Concordia conjunctio**

atio illa cordis descendit. Gail. de Pao. Publ. lib. 2. cap. 18. n. 7.  
*Bertachinus in Repertorio & Martini in Lexico Philolog. sub voc.*  
**Concordia & Concordia.** Quia verò multi aliud verbis aliudque fa-  
etis exterioribus præ se ferunt, quam clausum in pectorè te-  
nent, in pacificationibus & concordiæ tractatibus manus sa-  
pius, interdum & ora junguntur, ut animorum conjunctio eo  
magis cognoscatur his signis & datae fidei mentisque indicia  
ac quasi interpretes essent. Unde Germani dicunt: Er hat mit  
Hand und Mund gelobet. Ore enim promittitur, manu con-  
firmatur promissum. Rainald. Corsus de Privat. reconciliat. cap.  
15. Oldendorp. clas. 4. act. 28. de Condict. certi ex stipul. pag. 719.

## III.

Nec ullum facile hominem esse arbitror, qui nesciat ma-  
num pignus esse fidei, amicitiæ, pacis atque concordiæ; osculo  
verò liberum ac voluntarium eorum, qui in gratiam redeunt  
I. fœdera faciunt, consensum exprimi, *Vent. de Valent. in Partib. Li-*  
*tig. l. 2. cap. 4. n. 30. Philip. Caroli in Animadvers. ad Q. Curt. a-*  
*nimadvers. 9. conf. hic quoque Corsus & Oldendorp. loc. sup. citat.*  
*Quemadmodum enim offensi animi argumentum est, alterum ad*  
*osculum, in primis ubi usu id receptum, non admittere; ita contra*  
*osculum mutuum inter injuriatum & injuriantem pro tessera con-*  
*ciliati animi accipitur, Mascal. de Prob. Volum. 2. concl. 903. n. 21.*  
*Quandoquidem injuria non expressè tantum per pactum & trans-*  
*actionem; sed etiam tacitè per omnes illos actus, ex quibus dissi-*  
*mulatio præsumi potest, remissa intelligitur, arg. §. hæc actio ult.*  
*Inst. de Injur. Nulla autem certior dissimulationis præsumptio ca-*  
*pi potest, quam ex osculo unionis & amicitiæ symbolo.*

## IV

Præmissa vocabuli Concordiæ Etymologia, consideranda  
ejus Homonymia. Eadem verò voce indigitatur etiam Dea  
sic dicta apud Romanos, cui etiam ædem postea consecra-  
runt, *Conf. Livium. Dec. 3. lib. 2. & 3.* Hancque Deam effinge-  
bant Antiqui juvenculam, dextra craterem tenentem, læva  
nunc Cornucopia, nunc sceptrum, ex quo fructus exire vide-  
batur

bantur, sed & imaginibus duabus, dextram dextræ jungentibus. Pingebatur enim floribus cincta, dextra patinam cum corde, læva fasciculum virgarum tenens. In quibusdam nummis duo Cornuacopiae juncta una manu tenet, altera fas ignibus plenum; in aliis poma granata. Hofman. in Lexico Universali, vocabulo: Concordia.

## V.

Homonymiam excipit Synonymia, quæ varias subministrat appellations. Sunt enim qui eam modò per Pacem, modò per Amicitiam, modò per Reconciliationem efferunt. Sed licet in ipso genere convenient, ac idem faciant ex pluribus, ut largo quodam modo definitio pacti in L. Hujus i. § 5 est 2. ff. de Paet. comprehensa, singulis accommodari posse videatur; nihilominus tamen re diligentius perpensa, manifestæ sunt proprietates, quibus unumquodque ab alio secernitur. Reconciliationem enim nunquam non præavit discordia. Amicitia jungit illos præsertim, inter quos nullæ unquam inimicitiae intercessere. Pax vero ipso ortu nobiscum gignitur. Rainald. Corsus d. lib. c. 4. Vent. de Valent. lib. 2. cap. 3. n. 23.

## VI.

Alii Amicabilem compositionem & Concordiam unam eandemque rem diversis vocibus indigitatam, esse putant. Sed ut ut inficias ire nequeam, in Jure in primis Canonico Cap. Ex literis i. X. de Mut. petit. ibi: Concordia vel judicio utriusque negotium terminetis, Cap. Causam que. i9. X. de Testibus, ibi: Concordia vel justitia mediante decidunt, & Cap. Querelam 15. X. de Simonia, ibi: causam concordia vel judicio terminetis, & ap. DD. passim pro Synonymis haberi, accurate tamen loquendo differunt ut causa & effectus. Nam ideo amicabilis compositio instituitur, ut partes discordantes in concordiam redigantur. Interim libenter concedimus, in eo, quo nos vocabula ista sumimus, significatu, vix aliquam esse differentiam, siquidem Concordia nobis significat Tentamen concordiae, quod cum Amicabili compositione per omnia coincidit; Et in hac significativa

gnificatione juxta filum d. Recess. Imp. nec non Saxon. Proces. definio s. potius describo eam, quod sit: Actus legitimus, quo in primis Judex inter partes litigantes res dubias ante litis contestationem tolerabilibus conditionibus seu aequis mediis ob multa litium incommoda componit, & si fieri potest, decidit, ut litium aliquis sit finis.

## VII.

Definitioni proxima est divisio; dividi vero potest varie. (1) in veram, quae a vera partium voluntate proficiscitur, & presumptam, quae ex circumstantiis & principiis quibusdam voluntatem arguentibus colligitur, sic ex inimicorum mutuis officiis, & amica conversatione concordia presumitur, *Conf. Num. 3. circa f.* (2) a causa impulsiva, in spontaneam, quae proprio motu, & provocatam s. eam, quae consilio tertii, s. judicis s. privati tentatur; (3) a subjecto in eam, quae a personis principalibus, s. quorum principaliter interest, & quae ab aliis, communibus forte amicis, procuratur, (4) ab objecto, in universalem, quae omnes, etiam diversi generis lites; generalem, quae omnes ejusdem generis lites, & specialem, quae unam aliquam rem, s. litem specialem continet, (5) ab accidenti in puram, quae neque diem neque conditionem, & conditionatam quae vel diem vel conditionem adjectam habet *L. Si super 9. & L. Promissis 37. C. de Transact.* (6) in juratam & non juratam, *L. Si quis 4. & seq. C. b. t.* (7) in scriptam & non scriptam, *L. Cum te 5. & L. Sive apud 28. C. eod.* (8) a loco, in judicialem & extrajudicialem, *cit. l. Sive apud 28. C. b. t.* (9) a tempore, in diurnam & nocturnam, it. in eam, quae fit die feriato & non feriato *L. dies festus 11. C. de Feriis Lauterbach. in Comp. Jur. de Transact. p. 41. & seq. aliique.*

## VIII.

Visis hactenus generalioribus, Etymologia, Homonymia, & Synonymia, proposita itidem definitione atque divisione, consequens est ut ad eandem definitionem, in qua, tanquam in speculo totius rei natura s. qualitas nobis sicutur, paulò prius

pius accedamus. In ea vero generis loco ponitur: Actus; nō tācque quoscunq; actus à Jure nostro dependentes, s. fiant autoritate privata s. publica, ut sunt actus donantium, testam-  
tum &c. §. sed neque 10, J. de Testam. Ordin. L. Hæredes 21. §.  
uno contextu 3. ff. Qui testam. fac. poss. Nam qui concordiam  
inter partes tentat, agit sane, vel agere saltem debet, ut, quan-  
tum possibile est, partes discordantes tolerabilibus conditioni-  
bus vel æquis mediis ad concordiam redigantur. Additur: le-  
gitimus. Legitimum vero à lege nomen habet, & significat  
quicquid L. institutum, approbatum vel definitum est, ut legi-  
tima Hæreditas, L. Intestati, pr. ff. de Suis & leg. hæred. L. Sine I.  
§. sed & 2. ff. ad SCtum Tertyl. L. lege, 130. de V. S. Uxor, L.  
Minorem 4. ff. de Ritu Nupt. Cognatio, L. si qua 12. §. adoptivæ  
ult. ff. eod. Tutela, Tit. Inst. de Legit. Agnatorum, Patronorum,  
Parentum tutela. Aetas, l. si quis ult. C. de His, qui ven. etatis. &c.  
conf. Wesenboc. in Comment. ad Avth. Novissima C. de Inoff. testam.  
m. 2.

## IX.

Dum vero actui additur vocabulum: Legitimus, simul et-  
iam causa Concordiæ Efficiens proponitur. Licet enim illa  
fundamentum in Jure naturali, propter cognationem, quam  
Natura inter nos constituit, & quod inde alterum alteri insidiari  
nefas sit l. ut vim 3. ff. de J. & J. habere videatur, siquidem  
DEUS pacis & concordiæ DEUS, juxta Paul. I. ad Corinth. 14.  
vers. 33. & Corsum de privat. reconcil. cap. i. nihilominus tamen,  
sicut nos Concordiam consideramus, incunabula ejusdem com-  
modius à Jur. Gentium dectici posse videntur. Nam cum  
eo jure esse cœperint bella, captivitates, servitutes, quæ sunt  
naturali Juri, h. e. conditioni & statui, in quo ab initio omnes  
homines fuerunt, contrariæ. l. Ex hoc 5. ff. de J. & J. §. sed jus 2.  
J. de J. N. G. & C. consequens est etiam eodem Jure studium  
Concordiæ, quo discordantes in gratiam iterum rediguntur, in-  
troductum esse. Præterea in omnibus ferme Europæ provin-  
ciis laudabilis ejusmodi consuetudo viget, ut lites per Concor-

B

diam

diam, si fieri possit, componantur, antequam processui litigioso via aperiatur, sicut id Vent. de Valent. in Partb. litigios. l. 2.c. 4. n. 10. & Carpz. in Proc. tit. 10. art. 1, §. 2. n. 18. Jurispr. forens. part. 1. const. 1. def. 10. n. 11. & Consistor. lib. 3. tit. 9. def. 99. n. ult. de Gallia, sive Anton. Fabri in C. lib. 9. tit. 22. de Italia, sive Jasonis Vol. I. Consil. 35. Fulgosii Consil. 152. & aliorum ibi allegatorum testatur. Nec est, quod dubitemus de Germania, siquidem plerisque in locis ante litigii telam Amicabiles compositores, gulliche, Interhändler adhibentur, Vent. de Valent. d. l.

## X.

Postquam itaque incunabula Concordiae inspeximus, videamus nunc utrum etiam ea ad Jus Civ. & Canon. referri possit? Quod omnino dicendum videtur, in primis quia vestigia haud obscura, in utriusque Corpore deprehendere licet. Et hoc spectant omnes in universum leges, de hac materia loquentes; sed ex numero pene in numero aliquas saltem adducemus, nimirum L. si quis 51. C. de Episc. & Cler. ibi: nec dum per judiciale sententiam vel amicabilem compositionem sopiti sunt. L. Tanta 2. §. Leges a. 23. C. de V. f. E. ibi: nec eas judicialis vel amicalis forma compescuit. Et mox: quæ enim judiciali sententia finita sunt, vel amicali sopita pacto. Nec non ejusdem l. Constitutionem Dedit nobis, §. bac igitur 23. ibi: nec dum amicabilibus tradita sunt transactionibus, Avth. si vero contigerit C. de judic. ibi: per amicabilem compositionem dissolvant quæ dubia sunt. Ex Jur. vero Canon. in primis notandi sunt textus, sup. Num. 6. jam citati, in quibus terminus Concordiae semper occurrit Addi iis possunt Cap. Statuimus 2. ibi: compositio facta fuerit, Cap. de cætero 5. ibi: cum adversario suo componit, Cap. super eo 7. ibi: gratis & amicabiliter inter se litigantes componant, Cap. Ex parte ult. ibi: poteris etiam ad componendum interponere X. de Transact. & Can. 4. caus. 5. qu. 2. ibi: cum eis pacificare familiariter minime potuerint.

## X.I.

Quanto vero studio studium Concordiae discordantibus in

in sacratissimis Imperii Constitutionibus injungatur, evolventi  
 eas ex locis non unis liquido constabit. Sed instar omnium no-  
 bis sit Reces. Imp. ult. Ratispon. de anno 1654. §. Zweytens solle  
 der Richter erster Instanz die Partheyen in zweifelhaftien Sachen/  
 nicht allein vor angefangenen Rechtstand und litis contesta-  
 tion, sondern auch in quacunque parte judicii, durch alle dien-  
 liche Mittel und Wege / auch schiedliche Erinnerungen in Güte  
 von einander zu setzen/und hierdurch alle weiläufige Postspaltige  
 Rechtfertigung zu verhüten/sich befleischen / iedoch ehe dann Er  
 die Güte den Partheyen vorschlägt/vorhero in den Sachen sich  
 wohl informiren/und sein Absehen bey diesen gütlichen vergleichen/  
 dahn iederzeit sorgfältiglich stellen/damit die ein öffentlich ohnge-  
 rechte Sach führende Parthen zu denselben nicht gelassen/noch der  
 rechthabende Theil damit beschwöhret/noch auch die Justiz wie-  
 der des andern Theils willen / verzogen werde. Juncto ejusd.  
 Recess. §. weniger nicht/verbis: Die gütliche Vergleichung/  
 sonderlich in den wichtigen Sachen / vor allen Dingen zu versu-  
 chen/ & §. Setzen demnach/vers. zum dritten/ verbis: daß al-  
 le Creditores und Debtores, sich mit einander in der Güte se-  
 zen und vergleichen/in unverhoffter Entstehung aber solcher Güte/  
 alsdenn der Richter in Entscheidung der Sachen / auf diese uns-  
 sere Constitution das Absehen haben.

## XII.

Idem quoque urgent variarum Provinciarum sanctiones  
 ac ordinationes Processus Judicarii, sed ex iis Saxonicas sal-  
 tem, brevitatis gratia, adducere animus est; in primis autem  
 asterisco notanda gravissima Sereniss. Elect. Saxon. admonitio  
 ad Judices, quam, quia in elaboratione subinde ad eam respice-  
 re necesse habemus, exscribere non pigebit. Illa vero habetur  
 in Ordin. Process. tit. I. von Richterlichen Amt / §. beson-  
 ders aber wollen wir alle diejenigen/ so entweder an unserer statt/  
 oder ihre von uns ihnen verliehene Gerichte besitzen / hiemit gnä-  
 digst und ernstlich ermahnet haben / mit allen Fleiß dahin zu se-  
 hen/ und sich zu bearbeiten/Damit nicht leichtlich / und ohn Unters-

scheid / die zwischen den Parteien entstandene Ferungen / zuvor  
derst in Injurien Sachen / in weitläufigen rechtlichen Proces  
gewiesen sondern so viel immer möglichz zuvor versucht werde /  
ob die Parteien entweder uf billige Maße / in gute zu vergleis  
chen / oder / da solches nicht statt finden wolte / zum wenigsten der  
Proces mit ihrer beyden Bewilligung per modum compromis  
s oder sonst / eingezogen / vergebliche Zeit und Geld - Spildung /  
ersparet / und also ieder zu seiner Befugnus umb so viel desto  
schleuniger gelangen möge / zumahl wenn sich befindet / daß die  
Sachen von keiner sonderlichen Wichtigkeit / oder solche Person  
nen betreffen / die Unvermögens halben langwierige Rechtsfer  
tigungen nicht zu verlegen haben / wie auch / wann sich zwischen  
Obrigkeit und Unterthanen / oder nahe verwandte Personen / oder  
über solchen Sachen / die da pias causas, Witwen, Weisen und  
andere dergleichen miserabiles personas betreffen / differentien  
erheben / und was sonst für Umstände mehr den Richter be  
wegen können / so viel an ihm ist / unnöthige Weiterung zu verhü  
ten und abzuschneiden / jedoch mit der Discretion und Bescheiden  
heit / daß gleichwohl uf allen Fall / und do gütliche Mittel endlich  
nicht verfangen woltent / niemands recht und hülfflos gelassen werde.

## XIII.

Idque, quod jam dictum est, Joh. Georg. II. in Resolut. Gra  
vam. anno 1653. & 1657. in conventibus provincialibus ipsi  
traditis, sepius repetit, Tit. von Justizien - Sachen / s. hätte  
auch zu beachten / vers. wenn nun / verbis : So hat der Rich  
ter vor allen Dingen zwischen ihnen gütliche Handlung mit allen  
Fleiß zuversuchen / und ihnen der Sachen Zustand nothdürftig  
zu Gemüthe zu führen / s. und weil zum Elysseum / verbis : son  
dern sol viel immer möglich zuvor / ob die Parteien auf billige  
maße verglichen werden könnten zuversuchen act. s. Damit aber  
nun zwölften / verbis : sondern alsbald zur Handlung und  
gütlichen Vergleichung / vermittelst fleißiger interposition schrei  
gn / s. Ingleichen da zum vierzehenden / verbis : Dafz anges  
egte Sachen entweder in Der gute / oder durch Summarische  
Vorfall

s. B.

Wei-

Weisung / ohne Process abzuholzen / & s. seqv. und lieben also verbis: Die Güte iedesmahl vor den Process mit Freiheit versucht von dem Richter Mittel zu gütlichen Composition ex officio vorgeschlagen. Concordat Ordin. Judic. Saxo - Gothana part. 2. c. 6. §. 310. Nach dem der Richter entweder in der Summarischen Verhör / oder sonst alle circumstantias facti wohl eingewonnen; soll Er vor Ertheilung des Bescheids bey aller Gelegenheit zwischen den Parteien / so viel möglich / und wo eines Theils Recht nicht zu klage ist / gütlichen Vergleich suchen / und beyden die aus Fortsetzung des Processes entstehende Gefahr und Schaden wohl präsentieren / und an ihm nichts ermangeln lassen / was zu Vergleichung der Partheyen dienlich sehn möchte.

## XIV.

*Quia vero personarum causa Jus constitutum, s. ult. Inst. de J. N. G. & C. igitur, sicuti in aliis, ita quoque prius de personis, subjecto tractationis nostræ, erit agendum. Constituunt vero illud Judicantes & Litigantes. Judicantes in alleg. Recess. Imp. & Process. Saxon. intelliguntur per vocem: Richter / Litigantes per verba: die Partheyen. Quare primo loco sermo nobis erit de Judicibus, posteriori de partibus litigantibus. Nomen vero Judicis, summo Magistratui olim tributum, ut inter alia constat ex 1. Samuel. 8. vers. 20. C. Regum 23. Caus. 23. qu. 5. Hodie vero etiam inferioribus Magistratibus tribui consuevit. Crecente enim Republ. & litium multitudine in hoc corruptæ naturæ statu indies invalescente, is, quia per eum omnia expediri non poterant, coactus fuit, Judices, qui lites secundum Juris ordinem audirent & definirent, constituere, eosque jurisdictionis augmento honorare. Crediderunt enim Principes, eos, qui ob singularem industriam, fidem atque gravitatem ad hujus officii amplitudinem suissent evecti non aliter judicaturos esse pro sapientia ac luce dignitatis suæ, quam ipsi forent judicaturi, arg. l. un. ff. de Offic. Praef. Prætor. Et rectè, dum in aliis etiam partibus illorum officium occupatur, gravioribusque negotiis ut-*

plurimum involuti sunt, litibus ubi vis locorum in propria persona interesse nequiverunt, hinc exemplo magni illius, in populo Israelitico LLatoris, Moysis, aliis hanc curam recte demandarunt. Quamvis enim ille à Deo donis ferè divinis exornatus fuerit, ut S. quoque pagina de eo testetur, non surrexisse post ejus obitum Prophetam tantum in Israel, solus tamen sufficiens ad gubernacula Reipubl. non extitit.

## XV.

Probè autem hic notandum, quod Jurisdictionis à summo Principe, tanquam à fonte uberrimo ac perenni oriatur, & jure proprio ab eo exerceatur, ab aliis verò, ad quos, ceu rivulus quidam, dimanat, jure alieno, quo collimant verba Ordinat. Process. Sax. alleg. tit. §. besonders aber wollen wir alle diejenigen/so entweder an unser statt/oder ihre von uns ihnen verliehenen Gerichte besitzen/hiermit gnädigst und ernstlich ermahnet haben. Hinc quoque dividi solet Iudex in Ordinarium & Extraordinarium. Ordinarius est, qui non ab alio Magistratu dependet, sed proprio Jure potestatem judicandi habet, ut hodie sunt Imperator, Reges, Electores, Duces, Comites. Extraordinarius, qui non proprio suo jure, sed ab alio superiore potestatem judicandi habet. Quod sit si vel superior iudex alicui causæ cognitionem commiserit, ut sunt Commissarii, vel si partes in alicujus personam consenserint, ut sunt arbitrii compromissarii. Non enim rejiciendum est illud Politicorum monitum, à Platone, ut perhibent, olim prolatum: prius per amicos tentandam esse concordiam inter cives, antequam lis in judicium deferatur.

## XVI.

Et hujusmodi Commissariis hodie commode & frequenter utuntur litigantes, dum iis facilitiori negotio minoribusque sumptibus metam litis assequi valent, Carpz. P. I. Constit. I. def. 12. n. 4. & 5. Unde etiam haud difficulter à Principe vel à supremo cujusque iuri Magistratu concedi solent, sub hac potissimum formula: Ut primum inter partes concordiam tentent,

ea

ea verò dissoluta, in Entstehung der Güte/via Juris procedant, docente experientia quotidiana harum terrarum; Carpz. d. l. n. 6. de qua etiam testatur, Ayrer in Proc. Hist. P. I. c. 2. obs. 3. n. 8. Vent. de Valent. lib. 2. c. 4. n. 10. Gail. J. J. obs. 35. n. 1. & de P. P. l. 2. c. 18. n. 6. In quibusdam tamen iudiciis, Jūdex supremus ex officio litigantibus tales Commissarios, præsertim quando factum obscurum, & causa intricata est, adjungit, ut fieri quoque amat Dresdæ in supremo Provocationum Judicio, vid. Resolut. Gravam. d. l. & §. weil zum eilfsten/verbis: So sollen hinsfuro in allen Sachen/ so vor unsern Appellation Gerichte in prima instantia anhängig gemacht werden/ unsere Canzler und Räthe/collegialiter, oder von Denenselben gewisse Deputirte gütliche Handlung pflegen &c. it. §. seqv. Damit aber in f. verbis: und so dann entweder ingesamt/oder durch gewisse hierzu Deputirte die Parteien zu vergleichen sich bester massen bemühen.

## XVII.

Cum verò Compromissa ad finiendas lites pertineant & ad similitudinem judiciorum redigantur, L. Compromissum i. L. Labeo 3. §. tametsi 3. ff. de Recept. arbitr. non raro evenire solet, ut litigantes ad judiciorum moras, sumptus, cateraque incommoda evitanda privato alicui Viro bono controversiam dijudicandam credant, in eumque ita compromittant, ut quicquid statuerit, ratum firmumque proque re judicata habeatur, Wessensb. in Parat. cit. tit. n. 1. Consentit Thürfursl. Sächs. P. O. tit. 1. §. besonders / verb. Zum wenigsten der Process mit ihrer beyden Bewilligung per modum Compromissi oder sousten eingezogen. Nec non Fürstl. Sächs. Gethaische G. v. P. O. P. 2. c. 6. §. 3. verbis: Soll der Richter vor Eröffnung solches Processes die Parteien mit allen Fleiß zum Comptomiss und zwar dergestalt veranlassen &c. Berlich. conclus. 7. num. 31. & seqq. Cujus compromissi tanta postmodum vis & efficacia fuit, ut etiam iniquali arbitri sententiae, (dummodo non extra metas compromissi vagetur) stare quis teneatur per expressum textum in l. diem 27. §. stari 2. ff. eod. non quidem propter au-

to-

coritatem sententiae, sed ex inita conventione, vel compromisso  
vel metu pœnae eidem adiectæ, *Carpz.* in *Proc.* tit. 2, art. 3.  
n. 38. Hinc etiam ab ea regulariter appellare prohibitum est, *i.e.* Ex  
sententia i. C. de Recept. arbitr. *Gail.* lib. 1. obs. 149. n. 1. & obs. seqq.  
n. 8. ubi etiam rationem adducit. Minime verò ejusmodi ar-  
bitrio jurisdictionem legalem, sed conventionalem tantum lego-  
tamen approbatam, adscriptam volumus, *Carpzov.* d. l. n.  
37.

**XVIII.**

Imò non tantum Judox, sed ipsæ etiam partes Concor-  
diae in primis operam dare tenentur, ne lis ad judicium deferan-  
tur, vel, si delata jam sit, privatim componantur. Nam elegan-  
ter Celsus in *T. Hoc edito* l. §. inde queritur 10. ff. de O. N.  
N. Quid aliud, inquit, agebat prætor, quam ut controversias  
eorum dirimeret? A quibus si sponte recesserunt, debet id ra-  
tum habere. Etsi enim non temeraria aut calumniosa sit litigatio,  
merito tamen gaudere debet Magistratus, si trans-  
actione potius aut conventione, quam judicio illa fi-  
niatur, *Anton. Pickard. Comment. Institut.* tom. 2. lib. 4. tit.  
16. num. 7. Quodsi verò partes res inter se controversas  
seponere nequeunt, communes amici, in nullo licet præ-  
vio compromisso pactove partium se interponere, omnique  
consilio & labore nisi debent, ut eas in gratiam reducant.  
Quare præclarum sane Populi Romani institutum fuit, ut pri-  
usquam litigatores in jus venirent, honoratia amici alicujus  
opera uterentur, qui experiretur, utrum illorum controversiam  
intra privatos parietes placide sedare & amicabiliter compo-  
nere posset. Si verò res componi ita non potuisset, tunc de-  
mum Judicem & Advocatos in consilium advocarunt, ut an-  
potaverunt DD,

**XIX.**

Insuper Advocati quoque, quoad fieri potest, homines ad-  
lites propendentes ad pacem & concordiam inflectere debent,  
si-

sicut illis disertè injungitur Ordinat. Proces. Sax. tit. 3. §. 1.  
in verbis: billige Vergleichung vielmehr befördern / als verhindern / conf. Churfürstl. Sächs. Orgauisch Ausschreiben de an. 1583. tit. von Advoacaten und Procuratoribus §. und da sich / in verbis: So sollen sie doch für allen Dingen versuchen / und möglichen Fleiß anwenden / ob der Sachen in der Güte durch leidliche und billige Mittel abzuhelfen / nicht aber wie zu geschehen pfleget / umb ihres eigenen Nutzes und Vortheils willen / die Leuthe in einander hetzen / noch von sühnlicher Vergleichung abhalten. Hinc conscientiæ suæ benè consulunt Causarum Patroni , qui clientibus suis , in causis in primis , ut infra dicetur , dubiis , Concordiam suadere , eamque iisdem pro virili persuadere conantur , Fibigius in Process. cap. 2. memb. 3. §. II. Hanc enim qui contrario studio interverttere satagunt , & LLatoribus & divinæ voluntati , dissidiis omnibus inimicæ ac non nisi pacem & concordiam præcipienti refragantur. Laudandus proinde est Jacobus Schultes , Advocatus olim Lipsiensis non incelebris , qui , referente Magnif. Dn. Ziegler. in Rabulist. cap. 10. §. 9. semper , etiam in causis , quæ justissimæ ipsi visæ fuerunt , transactiōnem clienti toto pectore suasit , & hoc ipsi profuisse cum ad cœlebritatem nominis , tum ad augmentum rei familiaris ,

## XX.

At nihil magis inuisum & odiosum est caufidicis quibusdam , quam si audiverint litigantes aut leviter tantum contententes transactione interposita rediisse in gratiam . Hinc adeo videoas eos stimulos admovere rixantibus , & ignem subjicere , ut incendium erumpat nunquam deinceps facile extingendum ; Id. ibid. §. 10. nec non in ejusd. Cap. §. I. & seqq. addatur Otto Philip. Zaunschleiffer in Milite rogato , p. 42. in f. & init. seq. Quare occasione modò dictorum non ineptè hic queri potest ; Utrum ad Concordiæ tractatum Judex teneatur admittere Advocatos ? In foro nostro Saxon. affirmativa probatur , per ea , quæ Num. preced. in pr. fuerunt allegata . Quid? quod in Curia suprema Lipsiensi , nec non Curia Wittenbergensi certi ha-

C

bean-

beantur Advocati ad concordiam, qui dicuntur: Zur Güte.  
*Vid. Resolut. Gravam. d. l. §. weiter und zum zwey und sunfzigsten & Ordin. Process. Saxo-Goth. P. 2. c. 6. §.* Damit auch solcher gütlicher Vergleich 2, in quo expresse cavetur, quod, nisi partes in persona comparere queant, Mandatarios, quoad concordiae tractatum sufficienter instruant. Permisit tamen Serenissimus Sax. Elect. in Resolut. d. l. & §. allegantibus gravamina ea, ut, quoniam Advocati illi ordinarii paucas controversias amicè componerent, sed sèpius impedirent, vigore ordinationis Provincialis & supremæ Curiæ Lipsiensis, partes litigantes jura exceptionesque suas in judicio proponere valent.

## XXI.

Quin etiam Dn. Ludov. Günth. Martini Comment. for. ad Ordinat. Process. Judic. Sax. tit. I. §. 2. n. 22. Constitutionem de Rebus Metallicis Christiani Elect. Sax. art. 98. §. darumb auch. qua omnes Procuratores Advocatosve ad præcavendas non necessarias lites, removet, auream vocat, optatque, ut in omnibus ejusmodi tractatibus amicabilibus ii arcerentur, sperans hoc casu multum sanè litis amicè & summo cum emolumento partium sopiri posse. Attamen restringere videtur hic suum assertum ad Procuratores turbulentos, & Rabulas injustos, qui ratione proprii compendiū cum proximi malo ac damno discordias inter partes fovent, lites procrastinant, literas obliterant, sigilla sugillant, de quibus id etiam concedi potest. Alias nimis durum esset, si Advocatos, propter quorundam malitiam, planè ab amicabilibus compositionibus exclusos quis vellet, cum laudabile vitæque hominum necessarium sit advocationis officium, L. Laudabile 4. pr. C. de Advocat. divers. judicium, causamunque Patroni, gloriose vocis confisi munimine, ambigua facta causarum dirimant, suæque defensionis viribus in rebus sæpè publicis ac privatis lapsa erigant, fatigata reparent, laborantium spem, vitam & posteros defendant, L. Advocati 14. C. de Advocat. divers. judiciorum.

## C

## XXII.

## XXII.

Cæterum inter alia, quibus nonnulli irretiuntur, peccata, illud non postremo loco ponendum, quando autores quandoque sunt clientibus suis ad ineundam transactionem, cum tamen probè sci-  
ant adversarios justam, clientes vero suos injustam habere causam.  
Quod suum peccatum haud leviter augent, si defendant aliquan-  
diu injustam ejuscemodi causam, eum in finem, ut tædio affecta  
vel sumptibus exhausta pars adversa transactionem ineat, vel to-  
tum jus cedendo, vel non modica litis parte vexam redimendo.  
Quo sane casu longe melius facerent, si clientibus suis injusti-  
tiā causæ aperirent, eosque monerent, ut eam deserant, ni-  
hilque accipiant, nisi forte quod alter voluerit liberè & gratis  
conferre, aut si subsit dubitatio, secundum hujus qualitatem  
aliquid arbitrio prudentis dare, *Dn. Fritsch. in Advocato peccan-  
te, conclus. 9. n. 4.* siquidem transactio & amicabilis compositio  
locum habet in causis ambiguis, non manifestam iniquitatem  
redolentibus.

## XXIII.

Sed satis de primo subjecti membro; progredimur ad al-  
terum, partes scil. litigantes, quas inter Concordia, uti in defi-  
nitione dictum, tentanda. Dicuntur verò partes litigantes, qui  
de causa aliqua in judicio disceptant. Inter eos primum lo-  
cum obtinet Actor, ab agendo dictus, qui actionem instituit, &  
ab altero quid petit, *L. Qui appellat. 29. & L. Inter litigantes 62.  
ff. de judic. Magnif. Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. Ex. 9. tb. 4.* secun-  
dum Reus, à re, quæ ab eo petitur, denominatus. Et reorum  
nomine veniunt non tantum, qui arguuntur alicujus delicti, sed  
omnes, de quorum re disceptatur, *Cap. forus 10. in f. X. de V. S.  
Rosbach. in Process. Civ. tit. II. n. 1.* Est igitur Reus, contra quem  
actio instituitur & à quo quid petitur, *L. Non est novum 5. &  
sequ. C. de Edendo, L. Ait Prætor 3. ff. de Jurejur. Magnif. Dn.  
Struv. d. I. & th.* Utimur verò hīc numero unitatis, quia suffi-  
cit unus actor & reus, licet quandoque plures personæ tam ex  
parte actoris quam rei concurrant, qui tunc litis appellantur con-

sortes, t. t. C. de Confort. ejusd. lit. Et vocula consortis in causis civilibus, complicis in criminalibus obtinet, sicut in civilibus agere, in criminalibus vero accusare dicimus, uti notissimum.

## XXIV.

Plurimum autem refert scire, quis actor sit vel reus, quia actoris est aliquid proponere & id probare, quo non probato reus absolvitur, L. Accusare 4. C. de Edendo. Hinc queritur quisnam in duplicibus judiciis, nimirum familiae herciscundæ, communi dividendo, finium regundorum, ubi uterque litigatorum & petit, & se defendit, actor sit? Et Cajus in L. In tribus 13. ff. de judic. it. in L. Nihil 2. §. in tribus 1. ff. Commun. Divid. respondet: Eum actoris partes obtinere, qui prior ad judicium provocaverit; sed cum ambo provocaverint, & dubitetur, uter sit prior, is actor erit judicandus, quem fors definiverit, L. Sed cum 14. ff. de judic. Magnif. Dn. Struv. Jpr. R. G. F. lib. 4. tit. 2. n. 1. Ceterum actoris est, ut, antequam Judicem adeat, & litigare incipiat, subtilius deliberet, an justam s. in jure fundatam habeat litigandi causam, Vent. de Valent. l 1. c. 3. n. 38. Deinde ut debitorem s. adversarium suum extra judicium interpellat, texius est in l. debitores 10. C. de Pignor. & hypoth. l. Aemilius 38. pr. ff. de Minor. L. Quidam, 13. pr. ff. de S. P. II. L. Mora 32. pr. & §. Er non 1. ff. de ll. sur. L. Si ex legati 23. ff. in V. O. & L. 88. de R. J. Utilior enim illa amicabilis compositio est, quæ futuræ controversiæ viam præcludit, quam quæ cœptam terminat. XXV.

Quo spectat illud, quod Schneidewino, Jcto quondam Wittenbergensi celeberrimo, acceptum refertur dicterium: Macre concordium, seu mactam concordiam meliorem esse pinguis sententiâ, daß ein magerer Vertrag in der gûte besser sei/ als ein feister mit Recht. Spectant hoc quoque egregia verba Syracid. c. 19. vers. 13. quæ ex versione B. Lutheri ita sonant: Sprich deinen Nächsten drumb an / vielleicht hat Ers nicht gethan / oder hat Ers gethan / daß Ers nicht mehr thue. Et, paucis interjectis, alia, vers. 17. Sprich deinen Nächsten drumb an / ehe du mit ihm pochest / und Dencke an Gottes Geboth. Hinc pru-

prudenter non modo, sed Christianè etiam illi faciunt, qui extrajudicialibus hujusce interpellationibus utuntur, antequam processus litigiosi viam ingrediantur, cum nullo ipsorum incommodo id fiat. Jam verò quod alteri prodest & mihi non nocet, id ut non intermittatur æquitas suggestit, etsi jus deficeret, ut inquit Paulus in l. in summa 2. §. item Varus 5. in f. ff. de Aqua & aquæ pluv. arc. addatur Brunn. in Comment. C. ad cit. l. debitores 10. C. de pignor. & hypoth. n. 3.

## XXVI.

Qua de causa Imperator Alexander in l. Si manumissori 4. C. de obseqv. Patron. præstand. Victorinum quendam gravi-  
ter & iratus quasi objurgat, quod nulla prævia interpellatione Patronum suum in jus vocaverit, hisce verbis: Nam si qua tibi pecunia debebatur, sive de rebus, advertus Patronum, discep-  
tatio fuerat, non protinus ad litigandum currere debueras. Et quadrat egregius textus in l. Cum postulassem 44. in pr. ff.  
de dam. infect. in quo, qui damni infecti cautionem postula-  
bat, prius extra judicium, quam Prætorem adierat, vicinum  
monuit; & licet interea ædes corruissent, damnumque ipsi de-  
dissent, fraudi tamen ipsi mora hæc non fuit, sed Prætor o-  
mnia servanda esse existimavit, atque si, postquam in posses-  
sionem venisset, datum eslet. Unde clausula illa;  
Pluries amicabiliter interpellatus dare vel facere recusavit, sine  
dubio nata: Wiewohl Kläger offtmals Beklagten in der güt  
angelanget / und umb Bezahlung freundlich erinnert hat / so hat  
Er doch ausser dieser Nothgedrängter Rechtfertigung bey Ihn  
nichts erhalten mögen / vid. Stryk. de Cautela abundanti in Pro-  
cess. c. 1. n. 30. pag. m. 10. & seqq. quam etiam in supplicatio-  
nibus pro impetrandis citationibus tota die deprehendimus;  
conf. Dn. Nicolai in Process. cap. 2. in formula n. 36. tradita.

## XXVII.

Si verò videat, quod extra judiciali interpellatione parum aut nihil efficiat, antequam Judicem adeat, de Christiano, ho-  
nesto, pio, pacifico, docto, eloquenti ordinisque judicarii pe-

rito sibi prospiciat Advocato; Fibig. in Process. cap. 2. memb. 3. §. 1.  
in f. Quamvis enim Latherus de Censu lib. 2. c. 7. n. 76. scribat,  
quod consultissimi & conscientiosi viri à forensibus negotiis &  
causis tractandis, tanquam ab igne abhorreant; & vix fieri pos-  
sit, ut animus quantumvis rectus & excelsus non aliquando  
attrahat labem aliquam ex tot flagitiis perpetuo circumstanti-  
bus Magnif. Dn. Ziegl. in Rabulist. cap. ult. §. 6. Siquidem Pli-  
nius lib. 2. ep. 3. Nos, inquit, qui in foro verisque litibus teri-  
mur, multum malitiæ, quamvis nolimus, addiscimus, sive ut  
cir. modò Magnif. Dn. Ziegl. eodem loco habet; addiscimus.  
Non tamen putandum est, quod seculum nostrum adeo effe-  
tum & sterile sit, ut non quandoque unus atque alter, in quo  
prædictæ virtutes cadant, reperiatur Advocatus. Eo vero re-  
perto verum facti statum cum omnibus circumstantiis diligenter  
exprimat. Confessori enim Advocato & Medico dicenda  
est veritas, Vent. de Valent. lib. I. cap. 3. n. 41. Denique de  
probationibus sit solicitus, quibus intentionem confirmet, ne  
sumptibus inanibus divexent se se, litigando cum illis, contra  
quos obtinendi spem habere non possunt. Id. ibid. n. 43.

## XXVIII.

Deinde Rei quoque est, ut quas se habere putat exceptio-  
nes probe ponderet, & pariter accurate secum deliberet, an ce-  
dere an verò contendere velit. Nam negare non possumus  
conducibilius quandoque esse aliquid de Jure suo remittere,  
quam certis sumptibus incertam spem emere, & patrimonii  
partem aut redditum certum dubio eventui impendere. Quare  
non immerito commendantur in Jure, qui lites in tantum  
execrantur, ut malint jus suum indiscutibilem relinquere, & ma-  
jore charitatis quam justitiæ ratione habita, jacturam aliquam  
facere, quam in judicio contendere, & molestia judiciaria ve-  
xari, præsertim quando vident sacrosanctas Justitiæ officinas ubi-  
que fere constupratas, Oldendorp. in Progym. Action. forens.  
clas. I. act. II. in except. rei convent. n. 3. Quandoquidem, quod  
in

21.

in communi proverbio dicitur, verum omnino est: Hodierna ova  
crastinis pullis meliora esse, satisque lucrari eum, qui à lite  
nonnunquam discedit. Sæpissimè enim usu venire videmus  
litigatores, qui cum sumptuum quoque adjudicatione victo-  
riam reportarunt, tam longis anfractibus vexatos, & tot  
sumptibus fatigatos, ita affligi, ut lugendum potius sibi esse  
putent, quod bonæ alioquin litis aut instituendæ aut susci-  
piendæ consilium ab initio non abjecerint, quam gratulan-  
dum, quod tanto pretio nudam victoriarum gloriam compararint,  
uti ex Ant. Fabro hæc verba allegat Oldek. de Jurejur. in alt.  
anim. p. 47. n. 232.

### XXIX.

Hinc dimidium, quo quis sine iudiciorum molestia frui  
tranquille potest, plus toto est, per viam Juris obtinendo. Qui  
verò dimidio sive mediocritate contempta totum appetunt, sæ-  
pius utrumque amittunt, ut omnium seculorum experientia &  
B. Dn. Lutherus Tom. I. declam. popular. sup. VIII. præcept.  
fol. 160. & seqv. edit. Jenens. satis superque testatur.  
Frequentissime, inquit, fit, dum duo super re quapiam conten-  
dunt, per amicum pactum quilibet alteri cedens, ambo acce-  
pta rei parte, contenti forent, ubi dum litigant, longè plura  
consumunt, & in Causidicos profundunt duplo, quam cogerentur  
cessisse alteri partium. Quid? quod aliqui ultra rei summam,  
duplam etiam consumunt, & tamen etiam illam perdunt. Hic  
cantari tempus est; Justus es domine, & rectum iudicium tu-  
um. Da Causidico ingrato, alieno, irridenti te 20. florenos  
pro lite, qui noluisti fratri cedere 10. florenos pro pace. Quis  
est hic reprehendendus, nisi tu omnium cœcisimus, qui pecu-  
niā profundis indignis cum peccato, quam cum merito po-  
teras relinquere fratri adversario tuo, quem Deus dignum ju-  
dicarat ut haberet? Quod si triumphaveris, tamen cum pecca-  
to habes triumphum, & in morte quoque nudus invenieris. Ha-  
etenus Lutherus. Conf. ea, quæ habentur in Sciographia Pro-  
cess. Judic. Wodurch die langwierigkeit der überaus kosts-  
baren

baren Rechtfertigung und Gerichts-Sachen abgekürzt.  
N. 29. lit. K. cuius Autor ex siglis nomen representantibus & loco impressionis colligitur fuisse D. Hermann Hoffmann, Consiliarius Brandenburgicus.

## XXX.

Cognitis personis, à quibus & inter quas negotium Concordia obtinet, progredimur ad Materiam s. Objectum tractationis nostræ, res sc. dubias, arg. L. Qui transfigit. i. ff. de Transact. Consentit Recess. Imp. ult. §. zweytens. ibi: in zweiffelhaften Sachen &c. Process. Elect. Sax. tit. i. §. besonders / ibi: die zwischen den Parthehen entstandene Irrungen. Ordin. Process. Saxo-Goth. part. 2. c. 6. §. i. ibi: Und wo eines Theils Recht nicht zu flahr ist. Rationem suppeditat Keller. cit. saepius Tr. de Offic. Jurid. Polit. lib. I. c. 14. p. 115. quia satius est id ipsum de quo ambigitur, concedere, quam impudenter resistere. De decisis enim & semel sopitis nullum judicium est, nisi forte, ut hodierno seculo litigioso, quo frigescente charitate abundat iniqüitas, fieri amat, etiam in re clara nec controversa quis alteri litem temere movere velit. Quanquam non negem propter amorem pacis & concordia posse aliquem rem etiam certam & indubitatem alteri sponte sua donare vel remittere, arg. l. jam cit. Qui transfigit i. ff. de Transact.

## XXXI.

Dicitur vero res dubia, vel ratione dubii eventus; quia incertum est, quem exitum, quemve finem lis in judicium deducta, sit habitura, l. Quod debetur si. ff. de pecul. vel ratione intricatarum circumstantiarum, quæ Judici facile scrupulum injicere possunt, vel ratione ipsarum partium, quæ causas & jus iis applicandum plerumque non intelligunt. Nam licet illud in se certum sit, non omnibus tamen statim ita clarum & perspicuum est, ut de justitia causæ vel juris ad se pertinentis semper certi esse possint. Saltem notandum hic venit, quod res dubia dupliciter in Jure nostro accipiatur; vel enim ipso actu

actu est dubia & litigiosa , vel actu talis nondum est , metuitur tamen aliquando extitura , & sic potentia talis pro objecto quoque concordia habetur , L. Post rem II. ff. de Transact. L. Cum te proponas , 2. L. Jubemus ult. d. t. Add. Brun. ad dd. LL. Magnif. Dn. Struv. Ex. 6. th. 56. Borcholt. in Comment. tit. ff. de Transact. n. 5. § 6. Wesenb. in Paratit. ad eund. n. 3. ibique Dn. Hahn.

## XXXIL

Sed quia generaliter dicta solent esse obscura , & quæ in specie non attinguntur , videntur neglecta , præstat aliquas enumerare causas , in primis cum Serenissimus Saxo in §. besonders aber / sæpius allegato , prolixum catalogum earum causarum contexuerit , inter quas familiam ducunt Causæ injuria rum , per verba : Damit nicht leichtlich / und ohn Unterscheid / die zwischen den Partheyen entstandene Irrungen / zu förderst in injuriens Sachen / in weitläufigen rechtlichen Procesß gewiesen . Et rectè quidem . Sunt enim multi ingenio tam aspero & implacabili , ut leviusculo verbo vel tantilla injuriola læsi , ad judicium statim convolent , lædenti dicam scribant , litemque verè depauperatricem instituant . Præterea nullæ actiones animæ magis periculosiores esse videntur , animosque hominum , ira & odio jam accensos , ad varia peccata irritare solent , quam quæ ob contumelias & injurias instituuntur . Quoniam igitur omnis actio injuriarum , si non ad damni reparationem , sed vindictam tendat , L. Prætor edixit 7. §. si dicatur i. vers. at in actione injuriarum ff. d. Injur. odiosa est , quæ magis restringenda , quam amplianda , L. Cum quidam 19. ff. de Liber. & postibum . C. Odia 15. de R. J. in 6to. igitur cordatus Judex omne suum studium eò dirigere debet , ut lis exorta citò finiatur , rancor animorum supprimatur , injuriis disjuncti conjungantur , sive in gratiam & concordiam reducantur ; Lycurgus Romano - German. Hoffmanni cap. 48. n. in Exegesi 9.

## XXXIII.

Partes verò ipsæ non difficiles se in hoc concordia tracta-

D

tu

tu præbeant; Pars injuriata sumnum jus contra injuriantem haud urgeat, sed lenitatem rigori anteponens, proximo condonet, *Vid. Dn. Fritsch. de Jure & Regim. Charitat. Christianæ* §.37. in primis cum injuriam contemnere viri potius magnanimi, nec eam vindicare Christiani sit. *Dn. Mevius P. I. decif. 223. n. 6.* Et licet injurians vel obtestetur, se id, quod dixit, non animo injuriandi dixisse, vel nihil sibi conscientum, quod alterius honorem & famam violet, vel dicta aliter atque accepta sunt, explicer, nulla tamen nota ei inuritur, *L. Furti 6. S. padus 3. ff. de His qui not. infam.* ubi inhumanum esse dicit JCtus, ut notetur infamia, qui precibus impetravit ne secum agatur. Imò nec si deprecatione mereatur actionis & injuriæ remissionem, infamia locum habet, quia hæc potius ad amoliendas molestias, impendia & dubium litis eventum, quam ad confitendum tendere præsumitur, *Dn. Mevius d. l. n. 8. & seqq.* Accedit, quod jussu Judicis id faciat; jam vero qui ejus jussu aliquid facit, non videatur id dolo malo, neque ex conscientia sceleris facere, ideoque excusatur, quia parere necesse habet, *L. Non videtur 167. S. qui jussu 1. de R. I. conf. Gilhausen. Arb. Judic. Crim. c. 2. t. 34. n. 12.* Et hac declaratione, prædicto modo, facta, si injuriæ aliquatenus dubiæ sunt, injuriatus acquiescere tenetur, per Ordinat. Polit. Joh. Georg. II. tit. 5. §. Nach dem nun verb. ult: flagender Theil sich daran begnügen und sättigen zu lassen schuldig. An vero, si injuriæ non dubiae sint, aliquando partes ad concordiam ineundam cogi possint, de eo forte inferius erit dicendi locus.

#### XXXIV.

Sequuntur secundo Causæ modicæ s. modici præjudicij; Summa isti wenn sich befindet/ daß die Sachen von keiner sonderlichen Wichtigkeit/ ut verba , allegati ex Proc. Judic. Sax. §. be sondern/sonant. Quia modicum damnum a quo quis animo ferre. *L. Si merces 25. §. vis major 6. ff. Locati, & parvulum incommodi partem sustinere debet, L. Habitatores 27. in pr. ff. cod.* Nec enim viro congruit, sed potius est muliebre litigare de re mi-

minima, quam nec operæ pretium est vel extra judicium petuisse, vel in judicio obtinuisse. *Vent. de Valent.* l. 1. c. 3. n. 12. *Hoffmann. in Lycurgo Germ. morib. inform.* c. 19. n. 1. § 2. Attamen non satis convenit inter DD. quid sit vel dicatur modicum. Communiter definitur id, quod est infra duos aureos, *L. S. quis* 10. §. f. & *L. sequ. ff. de dolo malo.* Alii causam modicam s. modici præjudicij esse existimant, quæ plus expensarum requirit, quam inde emolumenti sperandum, s. ut *Ayrer. in Process. Histor.* P. I. c. 4. n. 9. offert, quæ ad sumptus judiciales non sufficit, die der Mühe nicht werth/noch der Gerichts-Kosten austräglich ist. Benè tamen ibidem n. seqv. in arbitrio Judicis hoc positum esse existimat, ut is, ponderatis personarum & causarum qualitatibus, quatenus causa modica dicatur, pronunciet; *Conf. Vent. de Valent.* l. 1. c. 3. n. 35. *Manz. in Special. Jur. Commun.* sub tit. *de Modico in Præfat. Rittershus.* ad Nov. P. 9. c. 3. n. 17. siquidem inter personas pauperes causa modici valoris magna dici possit, & quæ inter divites 100. etiam florenorum summam exceedit, minima. *Ayrer. d. l. n. 12.*

## XXXV.

Licet igitur facile audiendi non sint litigantes de re modici præjudicij, quæ in considerationem non venit, nec in Jure à Prætore curatus, *L. Scio* 4. ff. de integr. restitut. *Carpz. P. 3. Constit.* 32. def. 21. n. 3. quia modicum & nullum æquiparantur Cap. Licet causam 9. X. de Probat. nec honestum sit Judicem in hujusmodi causis inquietare, v. Nov. 24. Cap. Hæc nos 1. Reperuntur nihilominus, qui tantillum de Jure suo remittere ignominiosum sibi singunt, quin etiam volupe sibi esse ducunt, ob titivilitum aut rem modicam litigare, & vel iterata vel nova coram tribunal desideria explicare, *Magnif. Dn. Zieg. in Rabulist.* c. 10. n. 6. Quid casu sanè à limine judicij non sunt repellendi arg. *L. Creditores*, 7. ff. ad *L. Jul. de vi priv.* quia nemmo tenetur Jus suum, quamvis tenue, indiscretum relinquere, *C. Novio* 13. X. de Judic. attamen lis celeriter expedienda est, secus ac quondam de Gallo gallinaceo factum est, cuius gratia

D. 2

testes

botefli

testes producti, reproducti, attestata testium disputata sunt, usque dum plausta actorum confecta, atque ita multum temporis ac pecunia consumptum fuerat, sicut testis hac in re satis locuples adduci potest Carpz. in *Jur. For. Rom. Sax. P. I. C. I. def. 9. n. 14.*

## XXXVI.

Tertio hoc referuntur Causæ pauperum : *Ordin. Process. Sax. tit. I. §. besonders/verb. oder solche Personen betreffen / die unvermögens halben langwierige Rechtfertigungen nicht zu verlegen haben.* Sed certa regula definiri non potest, quis pauper dicatur. Aliquando enim pauper dicitur, qui parum habet in bonis, Ayrer. in *Proc. Hist. P. I. c. 7. obs. 2. n. 4.* Aliquando & quidem juxta LL. Romanas L. Nonnulli 10. ff. de *Accusat. Gail. l. I. obs. 142. n. 8. & DD. ibi alleg.* pro paupere habetur, qui minus quam quinquaginta aureos, & quidem, uti Philippi *Considerat. sup. Process. Elect. 2. tit. I. n. 21.* explicat, usualis monetæ, habet; licet hoc universaliter verum haud sit. Nam si hoc semper & ubique procederet, necessario sequeretur, quod ille dives esset, qui quinquaginta in bonis haberet, cum tamen Marcus Crassus illum demum divitem statuerit, qui ex propriis redditibus legiōnem posset alere. Quare rectius & hoc quoque judicis discretioni relinquitur, ut is pro personarum & temporum qualitate, nec non pro negotiorum, quibus de agitur, & regionum varietate aestimet, quis dives vel pauper sit. Nobilis enim dici potest pauper, licet mille in bonis habeat, & è contrario rusticus dives, qui centum tantum possidet *Mascard. de Probat. vol. 3. conclus. II 59. n. 8.* ubi etiam alia exempla habet. *Conf. Vent. de Valent. l. I. c. II. n. 32. Philip. d. l. n. seqv.* siquidem aliquis pauper esse potest in ordine patricio, qui dives est in ordine plebejo & contra *Rittersbus. ad Nov. P. 9. c. 9. n. 18.* Nam pauper non solum dicitur is, qui non habet necessaria ad sustentationem vitæ, sed & qui vivere nequit pro conditione sui status; & dives appellatur is, qui ita pro qualitate status vivere potest,

potest, ut semper aliquid ex redditu superfit, vid. Sprenger. de  
Exigno s. Modico, in descript. ejusd. n. 4. & seqq.

## XXXVII.

Quarto spectat huc lis inter Magistratum & Subditos, juxta §. besonders. Ordin. Judic. Saxon. in verb. Wie auch wann sich zwischen Obrigkeit und Unterthanen. Nam ad conservandam quietem ac Magistratum autoritatem juxtimque etiam civium commoda spectat istorum concordia. Unde sancta & venerabilis eorum persona debet esse civibus, quod ex simili ratione de Parentibus & Patronis cavit Jurisprudentia l. liberto 9. ff. de obseq. Parent. & Patron. praest. Et tanto graviores sunt inter Magistratus & subditos lites, quanto invicem sibi magis devincti; nec ulla danda occasio, unde vinculum illud minima sui parte rumpi posse videatur, Vent. de Valent. l. 1. c. 1. n. 30. Quemadmodum enim corpus naturale nunquam subsistet, nisi omnes partes amicè conspirent in auxilium & præsidium mutuum; ita Reipubl. corpus nunquam stabit, nisi Magistratus & populus in concordia vivant, bonum publicum curent, & omne dampnum amoliantur, vid. Institut. Viri priv. & publ. & aulici sup. jam cit. part. 6. conclus. 1. Hinc Dn. Mevius part. 6. decis. 70. n. 6. saluberrimè monet, ut in eo cautus sit Superior, ne omnibus subditorum contra Magistratum querelis, nec nimis citò & facile aures præbeat, ratione n. 8. addita: quia pronæ nimis superiorum ad querelas contra Magistratum aures non tam juvant, quam subditis ad contumaciam, inobedientiam, & contemptum animos addunt aut excitant, ubi etiam num. seqq. aureas quasdam, quæ hac in re observandæ Principibus ac summis potestatibus sunt, cætelas subnequit.

## XXXVIII.

Id quod in proximè præced. Num. dictum est, extendimus etiam ad Magistratum Academicum & ipsos Ecclesiæ ministros. Licet enim verba ordinat. Processualis hic deficere videantur, non tamen deficit mens modò ponderentur verba sequentia: Und was

sonsten für Umbstände mehr den Richter bewegen können/ so viel an Ihme ist/ unnothige Weiterung zu verhüten und abzuschneiden. Quod enim in cæteris obtinet, id maxime, ubi Scholaribus cum Scholastico Magistratu res est, observari decet. Etsi enim Scholarium sive Academicorum etiam hoc privilegium est, ut à quocunque onere ad superiorem provocare liceat; attamen hoc minime porrigendum esse volunt ad disciplinam Scholasticam, quam Magistratus iste in studiosam juventutem exercet; pro quo eo major præsumptio, quo magis docti sunt, & per literas humaniores ad humanitatem ducunt & ducuntur, qui eum gerunt. Accedit quod Professores magis, quam Magistratus, parentum loco sint habendi, quia in iis paternus affectus magis præsumitur, eoque magis vicissim amandi & honorandi; Dn. Mevius part. 6. decis. 222. num. 2. seqq. Quod vero Ministros Ecclesiæ attinet, tentandam quoque Concordiam esse, priusquam adversus eos processus decernatur, pie monet B. Dn. Carpzov. Jurispr. Ecclesiast. l. 3. tit. 9. def. 99. n. 15. & seqq. Tum ob reverentiam, quam quisque ministerio debet; Ne, secus si fiat, ministerii Ecclesiastici potestatem & autoritatem, quam sanctam & sartam conservari Deus & pietas jubent; quis videatur immittiere aut extentiare velle. Tum ob generalitatem textus. Cum enim Serenissimus Constituens litigatores quosvis de compositione amicabili admonere eamque inter partes tentare jubeat in d. §. besonders/ verb. Damit nicht leichtlich und ohne unterscheid die zwischen den Parteyen entstandene Irrung in weitläufigen Proces gewiesen/ sondern/ so viel es immer möglich/ zuvor versucht/ ob die Parteyen entweder auf billige Masse. in der gute/ zu vergleichen/ multò magis hoc de actionibus adversus Ministros Ecclesiæ intentandis dictum ac præceptum erit, utpote ex quorum litigio non potest non scandalum in Ecclesia oriri, quod modis omnibus avertendum.

## XXXIX.

Quinto Controversia Consanguineorum ad classem quo:

e. ③

potest

que hanc vigore Ordinat. Process. Elect. Saxon. *all. saepe tit.*  
 & §. pertinent, per verba, oder nahe anverwandte Personen.  
 Ratio ea forte est; quia minima haud raro res, quae inter pro-  
 prios vertitur, mutatisq; contradictionibus segne initium habet,  
 mox ita exardecit, ut non nisi iudicio componi, componi autem  
 & conglutinari aut reconciliari animi nunquam queant. Unde ut  
 illi, controversias inter se habentes, inter privatos parietes easter-  
 minent, Juri congruere ait *Lex Congruentius* 4. C. de Pat. potest.  
*Dn. Brun. in Comment. ad eand. nec non in Proc. Civ. cap. 2.*  
*n. 2. inf.* & Papinianus in *L. Arbitro f. ff. Fam.* bere: pietatis offi-  
 cio fungi fratres putavit, qui arbitro accepto & jurgio perem-  
 to, consenserunt inter se communem divisorunt hereditatem. Cui  
*L. Brunnemannus*, pius ille Marchiæ Papinianus in *Comment.*  
*ff. ad eand.* hoc superaddit epiphonema: Pietas est de patrimo-  
 nio relicto privatum transfigere. Pietas est non altercari de bo-  
 nis relictis. Pietas est parentum inæquale judicium seponere  
 & æqualitatem præferre. Pietas hæc etiam ad omnia utilis.

## X L.

Sexto juxta tenorem §. besonders / ex Process. Elect. Saxon.  
 ordine subsequuntur: Piæ causæ: Verba textus hæc sunt:  
 Oder über solchen Sachen / die da piæ Causas. Dicuntur  
 vero Piæ causæ, quando aliquid fit Dei intuitu, ad gratiam  
 vel gloriam ejus. *Manz. Specialia sub rubr. Piæ Causæ specia-.*  
*lia, in Proæm.* Et iisdem annumerantur, quæ piis ac venera-  
 bilibus locis e. gr. Ecclesiæ, Scholis, Xenodochiis, & quibusli-  
 bet aliis locis, in quibus senes, debiles, infantes & aliæ personæ  
 miserabiles ac langvidæ aluntur, aliaque pietatis ac charitatis  
 opera exercentur, vel Ecclesiasticis & religiosis personis, vel ad  
 Ecclesiastica ornamenta, pro fabrica Ecclesiæ, luminaribus, an-  
 niversariis diebus, vel aliis ad divinum cultum temporalem  
 aut perpetuum pertinentibus relinquuntur; *Speculat. lib. 2. part.*  
*2. tit. de Instrum. edit. §. Nunc vero, 13. vers. Et scias, 64. Litt.*  
*N. & P.* Item relicta pauperibus computantur inter legata ad  
 piæ causas. *Speculat. cit, modo loc. Lit. M.* idque ex ea ratione,  
 quia

quia bona pauperum æquiparantur bonis Ecclesiarum, & bona Ecclesiarum & clericorum sunt pauperum, pauperes vero ipsi thesaurus Christi. Et hoc adeo procedit, ut si quis relinquat causa pietatis alicui, quem credit esse pauperem, cum sit dives, istud nihilominus relictum censeatur ad pias causas. Dives enim non tam secundum facultates, quam qualitatem personæ suæ habendus est. Nam licet quis satis bonorum habeat, ut possit vivere, non tamen secundum conditionem & qualitatem suæ personæ, is pro paupere habendus. *Andr. Tiraquellus Tr. de Privileg. piæ cause in Praefat.*

## XL I.

Nec non relicta pupillis, viduis, peregrinis, auxilio proprio, vel ratione morbi, vel ætatis destitutis; quia S. Literæ pupillos, viduas & pauperes passim conjungunt, & alias hæ ac similes personæ in judiciis & extra ea quadam prærogativa gaudent, ut in L. unica. C. Quando Imp. int. pupil. & vid. Quod equidem Speculat. d. l. verum esse afferit de viduis, pupillis & peregrinis miseris & pauperibus, non vero de divitibus ac potentibus, sed quia hic non divitiae, sed sexus, ætas, & conditio personæ inspicienda, à partibus ejus in hoc passu stare haud possumus; vid. *Specialia Mantzii sub init. tit. de Miserabil. person.* Porro huc refertur relictum pro redemptione captivorum l. Si quis pro redemptione 36. pr. C. de Donat. Novel. Ut cum de appellat. cognoscitur 115. Cap. Aliud quoque 3. §. si unum 13. Legatum alimentorum per text. in l. Mela 14. §. Certe 1. ff. de Alim. & cibar. leg. & in l. Sancimus 21. C. de SS. Eccles. ubi causa redemptionis captivorum & alimentorum æquiparatur; conf. Novel. de Eccles. titul. 132. cap. interdicimus 13. in pr. Quicquid enim vel pro sublevanda anima vel pro sublevando corpore animato relinquitur, illud pium dicitur; Atqui corpus animatum non nisi per alimenta sublevari potest. Ergo. *Ayrer in Process. p. 1. c. 5. obs. 6. n. 12.* Legatum dotis sive pro maritandis virginibus, quod itidem dicitur pium, quia maritare pauperes virgines est pia causa sive pium opus. *Tiraquel. d. l. Siquidem*

dem in pīis causis potest fieri extensio de una ad aliam , ita ut quid Juris in alimentis , idem in dote observetur , & vice versa , *Sichard. ad rubr. Tit. C. Ad SCtum Vellej.*

## XLII.

Denique relictum studiorum causa potest etiam dici pīum. Et id non abs re ; quia ea dicitur favorabilis & pīa causa, quæ utilitatem publicam respicit. *Tiraquel. loco eod.* Hinc Imperialis clementia Sēctatores eorundem privilegiis munivit, & quidem ob justissimā causas , quas Imp. Fridericus adducit in *Nova Constitut. posita sub tit. Cod. Ne filius pro patre.* Quis enim , inquiens , non eorum misereatur , qui amore scientiæ exules , facti de divitibus pauperes , semetipos exinaniant , vitam suam multis periculis exponunt , & à vilissimis sāpe hominibus , ( quod graviter ferendum est , ) corporales injurias sine causa perferunt. Attamen , quæ de studiorum causa relictis , modò dicta sunt , restringunt nonnulli ad studium Theologiaz ; vid. *Tiraquel. Tr. sāpius cit. in præfat.* Verūm enim verò licet priūm locum concedamus DD. Theologiaz , idque ratione objecti , cum sustineant curam animarum , quibus nihil præstantius est arg. l. *Sancimus 21. in f. C. de SS. Eccles.* nihilominus , quia laudatus Imp. Fridericus in d. sua Constit. divinarum atque sacrarum LL. Professores conjungit , iisdemque idem pietatis beneficium indulget , studiosi sane Juris non erunt deterioris conditionis ; insuper etiam studiosis Medicinæ præferendi , quod illi circa salutem totius Reipub. versentur , hi verò saltem circa certa individua , quorum sanitas ipsis curæ cordique est . Jam autem salus publica privatæ anteponenda ; *Conf. Gæhausen in Jure publ. & privat. Part. 2. peric. 7. qu. 39.* Plures causas pīas qui nosse desiderat , adeat *Speculat. cit. sup. loc. Lit. O. & Tiraquell. alleg. Tr. in f. Præfat.*

## XLIII.

Septimo & ult. denique loco ponuntur Viduæ , pupilli ac aliæ ejusmodi miserabiles personæ . Harum autem Sereniss. Sax. El. in sua Ordin. Process. §. besonders rationem quoque habuit per verba : Wittwen / Weisen und andere dergleichen miserabiles personas betref- fen . Quæ verò hic intelligatur vidua , & an virgo quoque , parentibus orbata , cœlibem vitam agens , privilegium viduæ habeat ? non

E

usque

usquequaque expeditum est. Pro affirmativa sententia est textus expressus in *L. Malum* 242. §. *Viduam* 3. ff. de *V. S.* ubi ex lib. 2. *Posterior. Labeonis* notat Javolenus, tam illam viduam dici, quæ virum planè non habuit, quam quæ aliquando habuit. *Addatur Sichard. ad l. un. tit. C. Quando Imp. int. pupil. & vid.* Sed Gailio *l. I. obs. 1. n. 42.* negativa arridet; ideo, quod vidua proprie dicatur, cuius maritus mortuus est; *Nihilominus tamen quia certum, mulierem vas fragile, ideoque omnis generis captionibus suppositam esse, & viduis ob consilii inopiam, imbecillitatem sexus, & maritorum, à quibus defenduntur s. carentiam s. privationem in Jure passim succurri, arg. d. l. un. C. Qu. Imp. int. pupil. & vid. illæque rationes & in virginibus militent, afferendum videtur, omnes fœminas, præterquam si virum habeant, aut alias in patria potestate constitutæ adhuc sint, reetè celerem causarum suarum expeditionem mereri; Conf. Ummius disp. ad Process. Judic. 4. tb. 1. n. 60. Nicolai in Process. P. 1. e. 28. n. 2..*

## XLIV.

Quid, si marito quidem nupta sit, is tamen captivus detineatur, aut alias actioni instituendæ inutilis sit? Et hanc pro vidua reputari ex Accurcio & arg. Cap. 2. §. sed neque X. de Translat. Episc. probat Ummius d. l. conf. Menoch. de Arbitr. Jud. quest. l. 2. cent. 1. cas. 66. n. 9. Et, si ex Plauto, qui in *Milit. Glorios.* Act. 4. scen. 1. virginem adolescentem, quæ nupta erat seni decrepito, ob viduas, quas ducere cogebatur noctes, nuptam viduam vocat, argumentum mutuari liceret, concludi posset, & illam in classem hanc esse referendam, sed eam controversiam meam non facio; vid. Ummius d. l. & Gœhausen Part. 2. Per. 7. quest. Academ. ult. Hoc tamen asserere nullus dubito, quod, si luxuriose & inhoneste vivant viduæ, indignas se hoc Juris favore reddant Menoch. d. l. n. 10. Quo Jure igitur ille eod. loc. n. 25. meretricibus hoc privilegium tribuerit, ego, qui stupor meus est, percipere nequeo. Qui enim peccant in LL. istarum beneficio se indignos faciunt arg. l. Cum quis ult. G. de Reb. Credit. Qui verò illud: Estote misericordes, ingeminant, scire debent, se intempestivè misericordiam exercere, quandoquidem ea ipsa dolo proxima est arg. pr. l. Si hominem 7. ff. depos.

## XLV.

Ad latus viduarum ponuntur pupilli, qui intra pubertatis tempora patre orbati sunt, *pr. l. Pupillus 239. de V. S.* Et quod de pupillis hic dicitur, multò magis dicendum est de orphanis, qui utroque parente, & patre & matre carent, *Menoch. d. l. n. 4.* Nec refert, utrum tutorem habeant, nec ne, *Nicol. d. l.* Idque procedit non tantum in viduis & pupillis pauperibus, ut nonnulli volunt; (*Conf. Si-chard. in cit. l. un. n. 5.* statuens, quod is, qui vellet uti privilegio miserabilium personarum, deberet allegare non modò se esse pupillum vel viduam, sed etiam se esse pauperein,) verum etiam in divitibus, *Gail. cit. l. n. 40.* quia non divitiae, sed conditio, ut ita loquar, viduitatis aut pupillaris aetatis considerandæ sunt. Nam quia hujusmodi personæ solent communiter premi, tanto magis divitibus viduis ac pupillis succurrentum, quanto majoribus periculis suppositi sunt. Siquidem experientia docet, gravioribus sanè molestiis gravari illos, qui domi habent, quod edant, quam qui ostiatim viatum quærere coguntur, *Ummius d. tb. n. 59.*

## XLVI.

Latus claudunt aliæ ejusmodi miserabiles personæ. Sed quænam istæ sunt? Nonnullæ earum recensentur à Gail. & Nicolai *dd. modo loc.* quos inter sunt: Senes decrepiti, furiosi, cœci, muti, surdi, & qui diuturno morbo exhausti & enervati sunt. Addi iisdem ex Menochio *cit. cas. n. 15.* & seqq. possunt peregrini, captivi, mutili, & generaliter omnes, qui naturali commiseratione ob fortunæ injuriam digni sunt. Nec ideo minus commiseratione digni sunt, quia fortè divitiis gaudent; Nim. non sola paupertas hic inspicienda, sed & personarum miserabilitas; Quantumvis igitur in divitibus una cesset causa, altera tamen beneficium istud adhuc sustinet. Alias afflictis jam satis nova adderetur afflictio, & per diuturnitatem processuum penitus ad incitas redigerentur, *conf. Sciagraphia Process. Judic. Num. 65. litt. KKK.* Illud tamen in prædictis causis probe observandum est; sc. oportere eas esse intricatas, ut his personis magis expediret concordiam & pacem amplecti, quam diu in judicio contendere. Si enim certæ & expeditu faciles essent, judiciorum fores illis omnino sunt aperiendæ, ne

forte injuriarum inde nascatur occasio, unde jura nascuntur, sicut  
Impp. Grat. Valentin. & Theodos. in L. Meminerint 6. C. Unde vi  
laudabiliter rescripsierunt.

## XLVII.

Succedit in definitione tradita circumstantia Temporis atque Loci. Quia verò prior magis attendenda venit, arg. l. Si quis s. ff. de Incend. ruin. naufr. ea expedita, de altera pauca quædam, græ brevitatis ergo, afferam. Exprimitur verò ea in Recess. Imp. his verbis: Nicht allein vor angefangenen Rechtstande und litis contestation, sondern auch in quacunque parte Judicij. In Ordinat. Proc. El. Sax. illis, damit nicht leichtlich / und ohn Unterscheid die zwischen den Parteyen entstandene Irrungen in weitläufigen rechtlichen Process gewiesen/ sondern/ so viel immer möglich / zuvor versucht werde. In Ordin. Judic. Saxo - Goth. istis: soll Er vor Ertheilung des Bescheids. Quod igitur tempus attinet, consultius equidem eslet, si tentamen illud Concordiæ fieret in exordio litis ante L. C. Sicut enim melius est ignem gliscentem in cinere suppressimere, ita lites & dissensiones ab initio statim, antequam causæ momenta utrinque rigidius agitata & examinata fuerint, tollere & in herba quasi suffocare, boni est Judicis, L. Si cuius 13. S. sed si 3. vers. Æquissimum ff. de Uſufr. L. Quidam 21. ff. si cert. pet. Oldek. de Jurej. in alt. anim. p. 45. n. 227. Magnif. Dn. Zieg. Dicast. d. conclus. §. 9. Siquidem disensiones quo diutius durant, eò fiunt acerbiores, & lites in principio ut plurimum faciles per malitiosas litigantium tam principalium quam secundariorum ambages redduntur intricatae, & tandem immortales, Vent. de Valent. lib. 2. c. 4. n. 7. ut non immerito illud Medicorum: Principiis obſta, paucis immutatis hic quadret:

*Litigiis obſta; male juridicina paratur;*

*Cum lites longis invaluere moris.*

## XVIII.

Quod si verò videret Judex animos litigantium recenti dolore, ut quandoque fieri solet, adhuc esse exacerbatos, nec ad sedata consilia redigi posse, ex re sanè eorum erit, in progressu, post litis contestationem, imò in quacunque judicij parte, postquam rancor animorum per diuturnitatem temporis paululum recessit, Concordia negotium reſiterare, siquidem illud quovis tempore se com- men-

mendat; *Conf. Dn. Martini Comment. for. ad Ordinat. Judic. Sax. tit. i. n. 10. & seq.* Unde liquidò apparet, non firmo satis talo eorum nisi sententiam, qui negant convenire Judici partes ad concordiam disponere, postquam merita causæ imbibit; imò graviter peccare eundem, qui tunc parti, justam causam foventi, concordiam svadere vellet; Præterquam enim quod Judex homo sit, qui nihil à se humani alienum putat & inde ex facili errorem in perlustratione actorum vel pronunciatione sententiæ committere posse; non usquequam semper certus esse potest de Justitia causæ, quin aliqualis in animo hæreat scrupulus, quia levis quandoque circumstantia variat rem, & per consequens etiam jus, *arg. l. si non sentem*, 26. §. *libertus 12. vers. Celsus ff. de Condict. indeb.*

## X L I X.

Accedit quod sententia vietrici jam latâ multa dentur remedii suspensiva, quæ lites plerunque in longum tempus protrahunt, & sententiam ante latam sæpius plane evertunt, *arg. l. Ex quo 12. §. & hoc 7. C. de Ædif. privat.* Ut proinde consultum omnino sit tunc quoque admittere transactionem; modò sententia nondum vires & autoritatem rei judicatae acquisiverit, *l. si causa 3 2. C. de Transact.* Postquam verò sententia in judicatum transiit, transactio frustra svadetur, *L. Eleganter 23. §. si post rem 1. ff. de Condict. indeb.* quippe cum omnis transactio fiat de re dubia; per sententiam verò dubia esse desinat, *Rittershus. ad Novcl. Part. 10. c. 3. n. 9.* Nisi sententiæ vis per appellationem suspendatur, vel in dubium vocetur an judicatum sit, vel an sententia valeat nec ne; quibus sanè casibus locus esse potest transactioni & amicabili compositioni, *L. Et post rem 7. pr. ff. de Transact. d. L. 23. §. 1. vers. quid ergo ff. de Condict. indebit. Magnif. Dn. Ziegl. Dicast. Conclus. 22 §. II.*

## L.

Sed quid si versentur partes in appellationis instantia, an & tunc licita est compositio? Dubium nobis movere possent verba Recess. Imp. priora: Zweyten soll der Richter erster Instanz. Sed quia unius positio non statim est alterius exclusio, & verba posteriora: sondern auch in quacunque parte judicij, contrarium evincunt, omnino id afferendum videtur; licet in Judicio Appellationum, quod

Drésdæ est, nunquam Concordiam inter litigantes tentatam scribat Carpz. in Process. Tit. 2. art. 2. n. 74. Verùm pro ea observantia orare & rationem simul ejus suppeditare videtur Ordinat. Appelat. Christiani II. Elect. Sax. de anno 1605. Tit. von den Präsidenten und der Beysitzer Ambt/§. 1. verbis: Und weil die mündlichen verhören ohne das durch unsere zur Regierung verordnete Hof-Räthe verrichtet werden. Aliter verò sese res habet, si causæ in prima instantia coram Judicio Appellationum ventilarentur, quo passu Concordiæ tractatus non insuper habendus, vigore Resolut. gravam. Job. Georg II. de anno 1661. Tit. von Justitien-Sachsen/§. und weil zum eilfsten/verb. So sollen hinsuro in allen Sachen so vor unsfern Appellation-Gericht in prima instantia anhängig gemacht werden unsere Canzler und Räthe collegialiter oder von denenselben gewisse Deputirte gütliche Handlung pflegen. Addatur Dn. Martini cit. sup. loco n. 14.

## LL.

An vero Iudices peccant, omittentes hoc concordiæ tentamen? Resp. quod sic. Ratio hujus asserti est, quod LL. Imperii, Ordinationes judicariæ, Num. 10. & seqq. sup. allegatae, nec non mos omnium fere bene constitutorum judiciorum in primordio litis concordiam sive compositionem partium judicibus curæ esse jubeant. Jūdex verò ita judicare debet, sicut LL. Constitutionibus & moribus proditum est, pr. Inst. de Offic. Judic. Ayrer in Proc. P. 1. cap. 2. obs. 4. n. 6. Ut hinc officii sibi commissi parum memores sint, LLque contemptores fiant, qui vel per malitiam, vel per imperitiam nullam concordiæ rationem habent, Magnif. Dn. Ziegl. d. l. §. 3. Quapropter non probanda consuetudo in aliquibus judiciis recepta, secundum quam rarissimè, immò nunquam compositio amicabilis suscipitur, nisi eam urgeat ipse reus; cum tamen ad Judicis officium pertineat, tentarique debeat ante omnem partis aut suggestionem aut petitionem, neque expectanda sit alterutrius partis inclinatio aut propensio ad Concordiam Id. ibid. §. 5.

## LII.

Conringius equidem de Forma Judiciorum in Republ. recte insti-

*suen-*

37.

suenda *ib.* 75. omnem amicabilem compositionem indicium esse scribit male constituti judicii, eaque de causa eam velut inutilem atque noxiam *ib.* 78. repudiat. Sed loquitur de eo quod est simpliciter tale, in bene constituta Republica, sive de optimi judicii statu. Et verum utique est. Nam ubi multæ amicabiles compositiones instituuntur, ibi lites & injuriæ multæ inter cives existere necesse est; ubi hæ existunt, cives inter se non sunt amici, si non amici, judicia variis dissidiis & altercationibus quotidie replentur, si replentur, Resp. felix & judicia benè constituta dici nequeunt; *conf. Vent. de Valent. l. 1. c. 4. n. 23.* Quare optandum esset, ut homines plane & perfectè secundum LL. viverent; quia ~~tamen~~ non satis est optare, sed illud quoque circumspiciendum, annon ut optatur, fieri quoque possit in hac naturæ imbecillitate & imperfectione. *Id. lib. 2. c. 1. n. 8.* igitur adhuc dicendum, magno cum emolumento eas institui; siquidem, quemadmodum in toto hoc universo nihil perfectum & numeris omnibus absolutum reperitur, ita quoque nulla civilis societas coit, quin multis passa lites.

### LIII.

Nunc paucis quoque de circumstantia Loci erit agendum. Cum enim in Recess. Imp. dicitur, quod concordia tractari debeat in quacunque parte judicii, locus sane nemini obscurus esse potest. Dum vero additur: Nicht allein vor angefangenen Rechtsstande und L. contestation, simul etiam innuitur, quod etiam extra illud ea institui possit, forte apud arbitros sive ex compromisso sive aliter datos vel electos, *arg. l. Rem non novam 14. §. Patroni l. C. de Judic.* Imò in templis etiam de Concordia fuit tractatum, sicut Romæ in æde Concordiæ sacrata factum est, vid. *Chokier in Thes. Polit. l. 3. c. 18. n. 2.* Daher haben die Römer den Tempel Concordiæ umb keine andere Ursache willen gestiftet/den daß die Zwietracht unter den Leuten durch Beurichtung gewisser Opffer hingelegt und geschlichtet würde. Et si qui olim Christiani inter se dissident, omnem movebant lapidem reliqui, & ministri Ecclesiæ potissimum, ut eos reconciliarent. Inde in atriis & porticibus Ecclesiarum dissidiorum causæ examinari solebant, ut & loci sanctitate

tate & ministerio clericorum præsentium perculsi eò facilius in gratiam redirent; *Magnif. Dn. Zieg. in Rabulift. cap. 10. §. 8.*

## LIV.

Accedimus ad Formam, & quærimus quomodo tentamen illud Concordiæ instituendum sit? Eam exhibit Recessus Imp. hisce verbis: Durch alle dienliche Mittel und Wege / auch schiedliche Erinnerungen in gute von einander zuschæzen. Et Ordinat. Jud. Sax. sequentibus: sondern so viel immer möglich / zuvor versucht werden / ob die Parteien entweder auf billige Masse in gute zuvergleichen / oder da solches nicht stadt finden wolte / zum wenigsten Der Process mit Ihrer beider Bewilligung per modum compromissi oder sonst eingezogen. Nec non Ordinat. Saxo-Gothan. verba sup. n. 13. jam allegata, quibus addenda omnino sunt, quæ d. l. & s. per tot. habentur. Quoniam vero plures personæ hoc in negotio occurserunt, distinctè procedendum est, & sigillatim explicandum, quomodo Judex, deinde quomodo Advocatus, & denique quomodo ipsæ partes hic se comparare ac gerere debeant.

## LV.

Quod igitur pium ac prudentem Judicem attinet, ille non expectet alterius partis inclinationem ad concordiam, sed, quia neutra pars vult videri transactionem rogasse, sed esse rogata, *Keller de off. Jurid. Polit. I. 2. c. 2. p. 328.* eandem partibus offerat. Antequam vero id faciat, in facto prius probe se informet. Nec enim absque facti hinc inde prævia diligenti exploratione citra justitiae jacturam, & partis, bonam causam foventis, gravem læsionem, vel saltem absque lædendi præsenti periculo litigatorum transactionem sive amicabilem compositionem aggredi nequit. Id quod ipsa ratio naturalis dictat, & insuper requiritur in alleg. saepius Recess. verbis: Gedoch ehe dann Er die Güte den Parteien verschlägt / vorher in den Sachen sich wohl informiren, junct. Ordinat. Saxo-Gothan. §. I. supra cit. verbis: Nach dem der Richter entweder in der Summarischen Verhör oder sonst alle circumstantias facti wohl eingenummen / soll Er ic. Conf. Oldek. p. 28. n. 153. Quomodo enim uni vel alteri parti aliquid de periculis & incommodeis in causa proposita eventuris probabiliter prædicere posset, nisi momenta &

me-

merita causæ didicerit, & de iis prius informatus fuerit vid. *Magnif.*  
*Dn. Zieg. in dicast. d.l.n. 9.*

## LVI.

Deinde cordati Judicis est, ne in causa aperte injusta alterius malitiam, sub colore concordia & amicabilis compositionis, cum adversæ partis damno, adjuvet. Ubiunque enim iniqüitas alterius manu quasi tangitur, inique agere videtur Magistratus si alterum ad transigendum & de jure suo remittendum vel consilio suo adeggerit. Suffragatur Recess. Imp. in d. §. zweytens verbis ult. und sein Absehen bey diesen gütlichen Vergleichen dahin iederzeit sorgfältiglich stellen/damit die ein öffentlich ungerechte Sach-führende Parthey zu denselben nicht gelassen/noch der rechthabende Theil damit beschwerte/noch auch die Justiz wieder des andern Theils willen/verzogen werde.

## LVII.

Denique in causis ambiguis compositionem amicabilem tolerabilibus conditionibus & æquis mediis tentet, & ut de Jure suo potius aliquid remittant, quam infinita litis incommoda subeant, partes serio adhortetur. Ordinat. Jud. Sax. d. t. & §. verbis: Ob die Parteien entweder auf billige masse in guten zu vergleichen. *Conf. Resolut. Gravam. Tit. von Justitien-Sachen §. und eben also/* verbis: von den Richter Mittel zur gütlichen composition ex officio vorgeschlagen. Peccant enim plerunque litigantes imperitia aut temeritate, dum vindictæ aut habendi cupiditate ruunt in fora, nec litium incommoda intelligunt, nisi per damnosæ experimenta. Horum mentes prudentis Judicis admonitio sæpè cortiget, atque ad mitiora consilia deflectet. *Dn. Mevius in discuss. Levam. inop. debit. c. 2. n. 135. & sequ.* Quamobrem in causa ipsa, pro æquitate sibi visa, quid decerni possit, haud raro mentionem faciet, sed trepide admodum & cum formidine oppositi, sibique ita temperet, ut neutri parti nimium detrahatur, neutri nimium tribuat, difficulter alias item compositurus. *Magnif. Dn. Zieg. in Dicast. d. l. n. 7. Id. ad Institut. Jur. Canon. Lancelotti lib. 3. tit. 3. §. 1.* Id quod fieri magno cum emolumento consuevit erga unamquamque partem seorsim & semota altera, ne si hæc ex tumultuorio Judicis judicio & ductis hinc ar-

F

gu-

gumentis persuasoriis causæ suæ nimium fidat, & in transactionem deinceps consentire renuat; *Id. in Dicast. d.l.n. 8.*

## L VIII.

A Judice ad Advocatos & causarum Patronos venio. Nam & illi quoque, si officio suo legitimè fungi & illæsam conscientiam conservare velint, debent clientes suos, in primis in causis ambiguis, ad compositionem instigare. Si vero nihil proficiant, sed clientes litigare malint, petent Commissarios, qui inter partes Concordiam tentare possunt; quod si nec hac via lis amicabiliter componi poterit, Advocati liti abbreviandæ studeant, & viam amplectantur compromissi, ita ut coram ipso judice ordinario vel delegato compromittant in certas positiones, renunciando omnibus beneficiis suspensivis, Leuterationis, Appellationis, *Magnif. Dn. Born. in Colleg. Pract. sup. Proc. Judic. cap. 5. n. 3.* Et hanc procedendi rationem autoritate sua confirmavit Sereniss. Elect. Sax. Ordin. Process. tit. I. §. besonders aber verbis: sondern so viel immer möglich zuvor versucht werden/ ob die Parteien entweder us bikkige masse/in guten zu vergleichen/oder/ob solches nicht statt finden wolte/zum wenigsten der Precess mit ihrer beyder Bewilligung per formam compromissi oder sonst ein gezogen. *Addatur Fibigius in Process. Jur. memb. 3. §. 6.* ubi ea, quæ laudatus Magnif. Dn. Born. in Colleg. suo Pract. in compendium rededit, laetus deduxit.

## LIX.

Restat adhuc ut paucis etiam agam de Partibus ipsis, quo modo illæ in hoc compositionis tractatu se gerere debeant? Et initio quidem conscientiam suam probè excutere & expendere tenentur salutare Servatoris optimi præceptum *Math. 7. vers. 12.* Quod vultis, ut faciant vobis homines, sic faciatis illis. Quo facto Actor totam rem Judici, vel communi cuidam Amico breviter, dilucide, & modestè cum omnibus circumstantiis, sine ulla veri disimulatione proponat; Reus, eo, quo dictum est, modo, respondeat, utraque autem pars à conviciis sibi temperet, nec verba captet. Cæterum neque nodus in scirpo querendus, neque ad vivum omnia refecanda sunt, sed Judicis vel Mediatorum conditiones, si æquitate nisi videantur,

ac-

acceptentur, alia in sumum sane totus abibit concordiae tractatus. In primis autem hoc fiat, si causa, de qua disceptatur, non adeò magni sit præjudicij. Satius enim est injuriam ac damnum aliquod pati, quam cum obliuione charitatis Christianæ, ut hodie proh dolor plerumque fit, coram Magistratu diu litigare.

## LX.

Non tamen eo ipso, quasi bonis viris & Christianis salva conscientia litigare non sit permisum, statuimus. Hoc enim affere-re, aliud nihil esset, quam totum processum evertere velle judiciarum, ac divinæ resistere ordinationi, quæ in judicio, cum ad-versario litigare, suumque persequi, omnino permittit *Deut. 1. vers. 15. Ies. 1. vers. 17. Actor. 13. vers. 20.* Licet enim fanatici Spiritus Ana-baptistæ cum aliis ejusdem farinæ vel furfuris potius hominibus li-tem nobis moveant intempestivam, Judicia omnia & Magistratus planè damnantes, & nefas esse asseverantes Jure divino Christiano homini judicia exercere, & de Jure suo in foro litigare. Nos tamen sat frivolas eorum opiniones è Sacris *I. ad Corinth. 6.* & alibi de-sumptas, ad Theologos remittendo, cum *Vent. de Valent. l. 1. c. 3. n. 19. & seqq.* nec non *Hanedæsio Exerc. Imper. 30. qu. 1. & 5.* pro affirmativa stamus. Potest enim vir bonus justa de causa litigare & suam suorumque injuriam in judicio prosequi, sicut edere, bi-bere, emere, vendere potest. Ideò enim judiciorum autoritas pu-blicè constituta est, ut quisque per viam Juris, legitimis actionibus & remediis, jus ac sibi debitum consequatur, & ne cuiquam jus at-que fas sit, rei suæ consequendæ gratia per vim atque injuriam adi-tum sibi ad vindictam munire. *v. L. Exstat. 13. pr. ff. Quod met. caus.* Qui verò judicia prorsus sublata cupiunt, vitium atque officium Ma-gistratus, abusum cum legitimo judiciorum usu, ceu varia jura coquus, commiscent turpiter atque confundunt.

## LXI.

Pervenimus in definitione tradita usque ad causas, quas vo-cant, impulsivas. Licet vero multæ, & haud quaquam leves sint rationes, quæ unumquemque merito impellerent, ut causam prius Concordia quam judicio terminare studeret, *ut vult textus in Cap.*

*Ex literis i. X. de Mut. petit, Cap. Querelam 15. X. de Simon. nec non L. Si cuius rei, 13. §. sed si 3. vers. equissimum ff. de Uſufr. Attamen in §. Zweytens Recess. Imp. & §. besonders aber Ordinat. Jud. Sax. itemque §. 1. Ordinat. Sax. Goth. ad nauſeam ſupra allegatis, una faltem atque altera allegatur, ſicut id verba Recess. Imp. ſubſequen- tia teſtantur: Und hiedurch alle weitläufige Kost-ſpaltige Rechts- fertigung zu verhüten ſich beſleißigen. A quibus non longè abeunt illa, quæ in d. Ordin. Elect. Process. reperiuntur: Vergebliche Zeit und Heldtſpildung erſpahren und alſo ieder zu ſeiner Beſigkuiß umb ſo viel desto ſchleiniger gelangen möge; Resolut. Gravam. §. Und eben alſo/vers. Ihnen die Ungewiſheit des Ausganges/die zu ſolcher Recht- fertigung bedürſtende ſchroehre Kosten/ und andere Ungelegenheit be- weglich zu Gemüthe geführet. Ordinat. Saxo- Goth. vers. und beys den / die aus Fortſetzung des Proceſſes entspringende Gefahr und Schaden wohl repræſentiren.*

## LXII.

Sed' cum longe plures dentur, quarum quædam videri poſſunt apud Ayrer in *Proceſſ. Histor.* P. 1. c. 2. obſ. 3. per tor. nonnullas ex eo, & alias etiam, hīc ſubjiciam, ac tandem ad finem me accingam, I. eſt verenda Servatoris nostri autoritas, ac tremendum DEI O. M. mandatum, qui tanquam autor & fundator Pacis & Concordiæ *Mattib. cap. 5. vers. 24.* privatam controverſiæ compositionem haud abs re judiciali præmittendam eſſe censuit. Primum, inquiens, reconciliator fratri tuo; Et vers. ſeqv. Eſto amicus adverſario tuo ci- to, dum es in via cum eo, ne quando te tradat adverſarius Judici. Et clarius ap. *Lucam cap. 12. vers. 58.* Cum enim vadis cum adverſario tuo ad Magistratum in via, da operam ut libereris ab eo, ne forte petrahat te ad Judicem. Eodemque pertinet locus ex *Epift. ad Rom. cap. 12. vers. 18.* Si fieri poſteſt, quantum in vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habete. Nec aliena ab hoc loco ſunt, quæ leguntur *Proverb. cap. 3. vers. 30.* & *cap. 17. vers. 19. Syrac. c. 19. vers. 13. ſeqq.* & alibi. Imò modus & forma quaſi Concordiæ à Chiſtianis ineundæ exhibetur apud *Mattib. cap. 18. vers. 15.* & ſeqq. qui ibi poſteſt evolvii.

## LXIII.

## L XIII.

II. Naturalis cognatio atque Christiana charitas, qua unus alteri est devinctus. Quia enim ex uno eodemque Parente, Adamo, omnes sumus prognati & sic quædam cognatio inter nos intercedit, sequitur Juri naturali minime convenire lites semper agitari, atque nefas esse alterum alteri insidiari *l. Ut vim 3. ff. de J. & f.* Si igitur Jure naturali alter alteri devinctus jam est, concordia sane atque charitatis vinculo ulterius devinciendi sumus, propter Christi, à quo nomen habemus, disciplinam, *Corsus de Privat. reconcil. cap. II.* Licet enim inter omnes homines Natura suam constituerit cognitionem, fides tamen Christiana inter omnes Christianos multo majorem constituit. *Vent. de Valent. l. 2. c. 4. n. II.* Sed quomodo illa inter eos observetur optimè docet B. Lutherus in Colloq. Mensal. dum dicit: *Wir wollen alle gern Concordiam haben / aber das medium Concordia sucht niemand / welches ist mutua charitas.* Credo equidem esse adhuc qui malunt re aliqua carere, quam molestia judiciaria vexari. Sed quam rara hæc avis, imò nigro similior cygno, nostra tempestate sit, experientia & judicia passim omnia frivolarum litium plenissima referentissimaque abunde satis testantur, *Lutherus de Censu lib. 2. c. 50. num. 14.*

## L XIV.

III. Reipublicæ utilitas. Interest enim Reipubl. lites motas minui, & quoad fieri potest, citò consopiri, concordiamque reduci. Nam quanquam primo ac per se privatorum rem concerne videantur, per consequentiam tamen & publicè, uti dixi, interest, lites finiri *arg. l. Properandum 13. C. de Judic. l. Usucapio 5. pr. ff. Pro Suo. l. Res judicatae 2. C. de Re judic. l. Fratris 10. C. de Transact. l. Quidam 21. ff. de Reb. credit. l. In summa 2. pr. ff. de Aqua & aquæ pluv. arc. §. Item 12. Inst. de Inutil. stipul. Vent. de Valent. l. 1. c. 2. n. 2.* Verisimile enim est omnem civitatem tunc florere, quando privatorum res florent, & contra magnis tempestibus agitari, cum res uniuscujusque privati se male habet; sicut id inferius, quando de fine acturi sumus, plus satis liquido apparebit.

**IV.** Propria salus. Non enim Reipublicæ tantum, sed singulis etiam civibus privatim expedit, concordare potius cum aliis, quam contendere, omniaque potius facere, ut sint inter se amici quam inimici, ut eleganter ait *I. Generali* 31. in *pr. ff. de Iusu & Iusufr. & Reditu.* Pax siquidem atque Concordia omnium rerum copiam & abundantiam generat ac profert, *Keller. I. 2. c. 7. p. 324. Vent. de Valent. I. 2. c. 1. n. 31.* Id quod Romani probe intellexerunt. Hinc Concordiæ, quæ pro Dea apud ipsos habebatur, non tantum ædem consecrarunt. *vid. Antiquitates Romæ Vet. & Nov. Dieterici cap. 22. p. 56.* Sed & effingentes eam sceptrum, ex quo fructus exire videbantur, eidem aptaverunt. Alias dextra cratem, læva cornu Copiæ tenet, *v. Num. 4.* Copia vero similiter Dea ubertatis apud Antiquos erat, & fingebar cornu gerere plenum uvis, malis, ac spicis, unde cornu Copiæ proverbialiter quasi de abundantia celebratur, *Hoffmann in Lexico universali sub vocab. Copia.* Et Micipsa apud Salust. in *Histor. belli Jugurth.* Concordia, inquit, parvæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur; inque hoc Romani aliique, cum Christum adhuc ignorarent, lumine naturali atque honestis imbuti præceptis, superaverunt eos, qui Christi nomen atque doctrinam profitentur, cum tamen benedictio non tantum temporalis, sed salus quoque æterna pacificis à Salvatore promissa sit *Mattb. 5. verb. 5. & 9.* Beati mites, quia possidebunt terram; Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Ubi probe notanda notula, verbis hisce à B. Luthero adjecta, quod sc. per pacificos hic intelligantur, qui pacem faciunt, promovent & conservant; nec non ratio *ad Galat. 5. vers. 19. & seqq. expressa.* Odia enim, iræ, rixæ, contentiones sunt opera carnis, qui talia agunt regnum Dei non hereditabunt,

**V.** Immensi judiciales sumptus. Siquidem verum omnino est, quod in *L. Ex quo* 12. §. & hoc 7. C. de *Ædific. privat.* habetur, pecuniam litigando consumi. Sive enim quis justam causam

sam habeat, sive non, absque sumptibus tamen litigare haud potest, arg. l. Eum qui 79. in pr. ff. de Judic. Avth. Et qui jarat. C. de Bon. autor. jud. possid. Siquidem prima, media & ultima litigantium cautio est de expensis Advocatis, scribis, Iudicibus solvendis, arg. Avth. offeratur C. de Lit. Contest. Vent. de Valent. l. I. c. 4. n. 5. pro quibus interdum ne quidem obulus refunditur. Quod cum accidit, non minus actum de illo, secundum quem sententia iata est, quam de altero, qui in judicio succubuit. Nam ut hunc amissa perdit lis, ita illum consumpta res depauperat. Unde evenire videmus ordine inverso, ut alter litigantium, actor sc. iugeat, si reus spontaneam solutionem detrectet, & ad processum litigiosum provocet, etiamsi intentionem habeat fundatam, reus contra latetur, se lites in infinitum protelare & solutionem differre posse, donec moriatur, Oldek. de Jurejur. in alter. anim. p. 47. n. 234.

## LXVII.

VI. Metus longi processus. Ipse siquidem JCtus Paulus in pr. L. Etiam 15. ff. Ut legat. fideicommiss. caus. cav. fatetur, quod nonnullas moras exercitatio judicii habeat; Has moras nimium quantum auget malitia litigantium & Caufidicorum, dum unus alterum tædiosis ambagibus & protelationibus fatigare & velut consumere studet, ut haud raro hodie lites inter homines mortales immortales quandoque evadant, vel vivaces cornicularum & cervorum ætates longe superent, Zieg. Dicast. Conclus. 22. §. 1. ceu Berlich. Part. i. conclus. 9. n. 39. casum habet, quo post triginta, & quod excedit annos, causa ad Apostolicæ sedis examen per appellationem perlata & nondum L. C. fuit facta; Unde satis astimari potest quo usque exceptiones peremptoriae sint duraturæ etiam in prima instantia, Zaunschleußer in Milite togato p. 43. conf. Sciagraphia Process. Judic. Num. 29. litt. G. & I. Hinc Dn. Zieg. in Rabulst. c. 17. n. 5. in f. ex Hieronymo de Monte memorabile exemplum memorat, quod inter Communitates Gvaldenses & Fabricenses propter fines per 150. annos litigatum, & tandem ex compromisso lis finita fuerit.

## LXVIII.

## LXVIII.

VII. Temporis, quo nulla major jaētura esse potest, jaētura irrecuperabilis. Nullum enim homini majus impedimentum ad rectum rerum agendarum cursum abrumpendum afferri potest, quam lites & contentiones forenses. Siquidem tum litigantes, tum eorum Patroni ferè semper occupati sunt notando accusatio-nes, notando terminos ad probandum, negando petitionem, reci-piendo probationem, examinando testimonia, probando posses-sio-nem, signando relationes, citando partes, fabricando processus, al-legando Judicem suspectum, appellando à sententia, *Vent. de Val-ent. l. 1. c. 4. num. 15.* Cum tamen per Concordiæ tractatum nullo sæpius negotio omnis controversia vel una hora terminari, tempusque pretiosissimum melioribus sane occupationibus impendi posset.

## LXIX.

VIII. Molestiæ, curæ & labores, quos litigantes subinde per-fere coguntur, arg. L. per diversas 22. C. Mandati. Lis enim, quæ est generis foemini, semper ferè litem parit, raro abortum faciendo, *Latherus de Censu, l. 2. c. 5. n. 34.* nova verò lis molestias novas at-que curas progenerat, quæ canos faciunt ante annos, imò inter spem metumque, de alea litis suæ viventibus cor exedunt. Litiga-re enim nihil aliud est quam semper occasionem dare ori suspi-randi, oculo plangendi, lingvæ querulandi, menti se affligendi, pedibus se inquietandi, modò Advocatum, modò Procuratorem, modò Notarium invisendo, famulis imperandi, marsupio se exen-teran *i.*, adeò ut litigantes omnis vitæ tempus in tormento perpetuo conterant, nec exoptent quietem, licet videant possessiones vendi, mobilia oppignorari, tunicam pro pane dari, expensas frustra fieri, verba ventis committi, denique se in Nosocomia ferri, & despe-ratos mori, uti hæc emphaticè ex Ant. Mar. Spelta adducit *Vent. de Valent. d. l. n. 13.*

## LXX.

IX. Crebra, quæ litis ergò fieri consyevit juramentorum  
præ-

præstatio. Jurandum enim modò de calumnia , modò de veritate , modò de credulitate , modò de aliis. Circumspe-  
cte verò Judex hac in re versari debet , ne promiscue quem-  
vis ad juramentum admittat , ne vel hic consequatur ,  
quod illi non debetur , vel ille perdat , quod sibi debe-  
tur. Sunt enim faciles nonnulli hominum ad jurandum  
contemptu religionis , alii perquam timidi metu divini Numi-  
nis , usque ad superstitionem , pr. l. Quæ sub 8. ff. de Condit. institut.  
Oldek. de juram. in alt. anim. p. 40. n. 199. Quapropter , quia litigiosi  
hoc seculo iuramenta ne obulo quidem æstimantur , sed cum  
iis luditur , non secus ut pueri astragalis ludere amant , cupi-  
ditate victoriae sèpius pejeratur ; conscientiosi contra viri à ju-  
ramentis valde abhorrent , neque illud deferre , neque sibi re-  
latum præstare volunt. Horribilis siquidem textus est in C. Il-  
le 5. Caus. 22. qu. 5 , cujus hæc sunt verba : Ille , qui hominem pro-  
vocat ad jurationem , & scit eum falsum esse juraturum , vincit  
homicidam ; quia homicida corpus occisurus est , ille animam ,  
imò duas animas , & ejus , quem jurare provocavit & suam .  
Scis verum esse , quod dicis , & falsum esse , quod ille dicit , &  
jurare compellis ? Ecce jurat , ecce pejerat , ecce perit . Tu quid  
invenisti ? imò & tu peristi , qui de illius morte te satiare vo-  
luisti .

## LXXI.

X. Disfidia , odia atque inimicitiae , quæ ex litibus judi-  
cialibus oriuntur , L. Servus 20. in f. ff. de O. & A. Quippe li-  
tigantes irascuntur Judici , insaniunt contra Adversarium ,  
maledicunt Advocatis , imprecantur LL. quoties rescripta ex  
voto non respondent ; si alterius litem dirimi vident , statim in-  
vident & obmutmurant , quasi Judex collitigatori magis faveat ,  
Advocatus causam non rectè foveat , Referens minus diligenter  
legat , intelligat ; Vent. de Valent. lib. I. c. 4. n. 32. Et pauci ad-  
modum sunt ea prædicti æquabilitate animi & prudentia , ut possint  
causam à persona discernere & cum vitiis bellum , cum hominibus  
pacem colere , vel causæ tantum , non etiam personæ inimici

esse, quod quidem Germanorum nostrorum dictorio præcipitur, ut simus; *Der Personen Freund / Der Sachen Feind. Kellerus l. 2. c. 7. p. 327. Vent. de Valent. l. 1. c. 3. n. 45.* Sed plerisque hoc usu venit, quod alio proverbio indicatur: *Das Recht scheidet wohl/aber es freundet nicht. Rittershus. Comment. Inst. Tit. de Pæn. tem. litig. in pr.*

## LXXII.

XI. Dubius litis eventus. *I. Quod debetur 51. ff. de Pecul.* Optimam enim licet quis habeat causam, victoriam tamen inde præsagire ac certò sibi promittere haud potest. Siquidem multi etiam sub justissimo clypeo s. malitia agentium, s. impenititia judicantium, *pr. L. Appellandi 1. ff. de Appellat.* s. inopia probationis, *L. Duo 30. ff. de Test. tutel. L. Qui accusare 4. C. de Edendo,* s. adversarii adversive patroni potentia, succumbunt atque pereunt, *L. Servi 23. §. is autem 1. C. ad L. Jul. de adulter.* Durandus in *Spec. Jur. lib. I. part. 4. tit. de Advocato §. Nunc tra-*  
*temus 3. n. 10. Caccialap. de Transact. qu. 19. n. 3.* Unde eventus litis iudicio fortunæ, quam coaccam, incertam instabilemque esse constat, æquiparatur *L. Servus 13. ff. de statu hom.* ut proinde consilio agat actor, si hæc omnia ante præmeditetur, ne eventu, stultorum magistro, discat, ea, quæ malo sunt inchoata principio, vix feliciorem sortiri exitum.

## LXXIII.

XII. Bonorum atque famæ amissio. Hinc videmus quod ex perpetuis litibus haud raro reddantur pauperes, adeò quidem ut occasione litium sæpè cogantur discedere è patria, atque in peregrinis oris obscurè ac miserè degere, cum tamen sine hac litigandi prurigine potuissent præclare, feliciter ac liberaliter cum suis æqualibus vivere. Prætereaque turpitudine & probro non vacant, qui semper in litibus occupantur, ac judicia quotidie, etiam in causis nullius sæpè momenti, obeunt. Sicut Atheniensibus hoc vitio datum fuit, de quibus dictum: Cicadas unum duntaxat atque alterum mensem in sicubus cantillare, Athenienses autem per omnem ætatem in iudiciis cantare. Sed Ro-

Romani contra adeò judiciorum molestias abhorre solebant,  
nec virum bonum existimabant, qui frequenter in his suo ver-  
sabatur nomine, *Vent. de Valent. lib. I. cap. 3. n. 3. Oldek. p. 63.*  
*n. 290.*

## LXXIV.

Et quis omnia litium incommoda enarrare posset, siqui-  
dem ea non immerito receptaculum omnium malorum audi-  
unt. Congesit tamen pleraque atque in compendium rededit  
Magnif. Dn. Ziegl. Enimverò, inquiens, non est cujusque  
tantas ut devoret molestias, quæ quotidiè ex litibus oriuntur.  
Perpetuæ præsto sunt animi ægritudines, concatenatus & in or-  
bem rediens labor, expensarum infinitus numerus, obterendi ad-  
versarium quotidianum votum, Judicum, quos adire ambire-  
que oportet, incerta studia, odia, supercilia, singulares affectus  
&, quod caput est, judicii ipsius, quale tandem futurum sit,  
cœcus semper ac suspensus timor, pallensque fiducia. Ut ta-  
ceam calumniandi libidinem, mendacia, circumventiones, &  
multa alia, quæ non possunt non animum excruciare semper,  
semperque sollicitare. Felices igitur eos prædicat qui se libera-  
re curis istis edacibus & adorandis Judicum liminibus inten-  
dunt, qui tempestivè se eximunt à credulitate patronorum &  
eorum omnium, qui sanguine miserorum, tanquam perenni  
pastu saginantur; *vid. Rabulift. cap. 10. §. 7. addatur Dicast. Con-  
clus. 22. §. 1.*

## LXXV.

Sed si partes incommoda illa, in præcedentibus jam jama  
exposita, non carent, causamque suam Processu Juris persequi  
ejusque eventum & sententiam expectare malint, an Judex  
possit ac debeat illas ad concordiam & transactionem compel-  
lere? Dubio non caret. Regulariter id non esse licitum, ex ul-  
timis fere verbis, definitionis nostræ, colligi potest. *Texius est*  
*in Novel. 124. cap. Quia verò 4. l. Ex stipulatione 7. C. de Sen-  
tent. Et interlocut. om. judic. Recessu Imp. §. 3weytens in verbis e*  
*In Der Güte von einander zu sehen sich befleißigen. Ordinat. Jud.*

*Ei. Sax. §. besonders in final. verbis:* Jedoch mit der discretion und Bescheidenheit / daß gleichwohl auf allen Fall / und da gütliche Mittel entlich nicht verfangen wolten / niemands Recht- und Hülffloß gelassen werde. *Resolut. Gravam Joh. Georg. II. tit. §.* und eben also / *sepè citato, itidem verbis final.* Da Sie aber über angewendeten Fleiß nicht zugewinnen / soll Darzu niemand gezwungen / sondern die Parteien alsbald in selbigen Termin ihre Notdurft rechtlich gegen einander nach dieser Ordnung einzubringen gewiesen werden. *Ordinat. Curia Suprem. Lipsiens. de an. 1549. tit. von des Ober-Hofrichters auch der Beysitzer Amt/ vers. wo das aber nicht statt finden wird/was recht ist ergehen und geschehen lassen.* *Ordinat. Saxo-Goth. d. t. §. ult.* Dassern aber dieses bey denen Parteien nichts verfangen sollte / mag der Richter sie zum ordentlichen Rechten weisen/und sie des Ausganges darin gewarthen lassen.

## LXXVI.

Nec desunt nobis rationes atque autoritates quibus hanc nostram sententiam fulcire & corroborare possumus. Cui enim ignotum est notissimum atque ad prodigalitatem usque à DD. repetitum axioma : Concordia debet svaderi non imperari, sive, ut alii hoc efferunt : Concordia est bonum persuasibile, non compulsibile. Præterea Judex minister est justitiae, qui unicuique suum trbuere, & nemini suum auferre debet ; auferret autem Judex, si ad transactionem partes invitas cogeret, præsertim si justitia causæ esset manifesta. Sed quia DD. non semper creditur, nisi ea, quæ asserunt, LL. aut rationibus probaverint, age, postquam ex jam fuerunt adductæ, eos quoque in medium producamus. A partibus vero nostris stant DD. communiter interque eos Berlich. p. I. concl. 7. n. 35. Carpz. in Process. tit. 10. art. 1. §. 4. n. 32. Rittershusius ad Novel. P. 9. cap. 6. n. 129. Schnabel. disp. 2. th. ult. Mevius discuss. Levam. inop. debit. cap. 2. n. 137. Phibippi Considerat. I. n. 4. Martini ad cit. §. n. 17. quibus addendus Gail. de P. P. l. 2. c. 18. n. 9. & plures ibi allegati.

## LXXVII.

## LXXVII.

Unde si partes Judicis monita respuant, ad processum instituendum vel eundem continuandum paratae, nec ullum concordiae tentamen admittere velint, processum ipsis aperire debet. Siquidem persuasio immoda vim habet violentiae arg.  
*L. Ait Prætor. I. §. persuadere 3. ff. de servo corrupto Menoch. de Arbitr. Jud. quest. 395. n. 41.* & dolum arguit, *Id. de Præsumpt. lib. 3. præsumpt. 12. n. 9.* Quam magnus autem & frequens hac in parte sit Judicum abusus, rerum forensium expertos latere non potest. *Oldek. d. sup. loc. p. 23. n. 130.* Et memini Practicum quendam magni nominis graviter conquestum fuisse, quod occasione hujus immodicæ persuasionis, multis saepe injuria inferatur. Cæterum multas exceptiones tradunt DD. statuentes Judicem hoc facere posse, ex certis quibusdam & prægnantibus causis, in quibus vel litigium jure prohibitum, vel jus alicui suum differre aut auferre non est illicitum arg. *I. Bona fides 31. ff. depos.* Nam ubi certi Juris alieni ob superiorem rationem nulla habenda est ratio, multo minus Juris dubii, litisve incertæ.

## LXXVIII.

Tales sunt: Si timor subsit, ne partes ad armæ veniant, contentioque privata facile occasionem præbere possit turbis publicis,  
*L. Si quis 21. §. in civilibus 1. ff. de Capt. & postlim. L. Si cuius 13. §. sed si 3. vers. Cum enim ff. de Uſufr. Gail. de P. P. l. 2. c. 18. n. 10.* cuiusmodi metuenda ex lite inter insignes personas, *Vent de Valent. l. 2. c. 4. n. 22. Ayrer. in Process. P. I. c. 2. obs. 3. n. 17. Caccialup. in Tr. de Transact. qu. 20. n. 2. Dn. Mevius P. I. dec. 224. n. 7.* Si partes diu litigii serram inter se reciprocassent, & causa adeò esset dubia & intricata, ut de facili expediri nequeat, sicque Respubl. semper inquietaretur, *Gail. d. l. n. 9. Ayrer d. l. n. 10. Mevius in discuss. levam. inop. debit. c. 2. n. 138. Carpz. Jurispr. for. P. I. C. I. def. II. n. 3.* Nam propter pacem, concordiam, vitandas turbationes & quietem Rei publ. multa, juxta DD. contra Juris seriem sunt recepta; quia publica utilitas versatur in Pace & Concordia civium, quæ

verò obtineri non potest, si perpetuae sint lites; vid. Manzii  
Special. in Jure com. sub tit. de Bono pacis & concordiae in Prefat.

## LXXIX.

Si res sit modica. Pro bono enim pacis de modico non curat  
Prætor; quia hoc videtur illi permisum à partibus, ut possit  
in modico lædere, in odium & execrationem litium; siquidem  
majus est commodum pacis & concordiae, quam læsio ejus-  
modi. Andr. Tiraquel. in Tr. de Judicio in reb. exig. ferendo.  
Quod tamen cum grano salis accipiendum, cum etiam res mi-  
nima pauperi major esse possint, quam diviti magna summa;  
Nam & parvæ rei, si de justitiae agatur, magnæ sunt, quippe  
Justitia suum cuique tribuens non distingvit inter magnum &  
modicum, Brunnem. in Proc. Civ. cap. I. n. 36. Berlich. P. I.  
conclus. 7. n. 37. sicut quoque manifestè hoc decisum est in §.  
besonders Ord. Jud. Bleßt. Sax. ult. verbis: Gedäch mit der  
discretion und Bescheidenheit. Si causam injuriam alicui illa-  
tam concernat. Cui quidem obesse videbatur, quod agunt  
paeta & remissiones voluntatis esse, L. Sicut 5. C. de O. & A.  
Nec invitum quem cogi debere, ut transigat, aut de rebus  
suis, præsertim de fama, quidquam statuat; Attamen licet sic  
regulariter obtineat, accidere tamen potest quandoque, ut  
partes ad transigendum & remittendum injurias compelli que-  
ant, si v. gr. cum scandalo publico actio super injuriis  
moveretur, cuius evitandi gratia partes ad concordiam adigere  
fas omnino erit juxta Mevium P. I. dec. 224. per tot. Pium  
enim humanum & Christianum est injurias remittere. Inque  
eo haud parum est potestatis Judicibus, arg. I. De injuria ult.  
f. de Iejur. in priinis superioribus.

## LXXX.

Quanquam enim in f. §. Zweytens d. Rec. Imp. habentur haec  
verba: Und sein Absehen bey diesen gütlichen Vergleichen dahin  
jederzeit sorgfältiglich stellen/ damit die ein öffentlich ungerechte  
Sach führende Partey zu denselben nicht gelassen/noch der recht-  
habende Theil damit beschwert/noch auch die Justiz wieder  
des

des andern Theils willen verzogen werde. Ea tamen ad inferiores Judices, quibus nihil contra LL. tenorem licet, nec eam autoritatem, nisi à superioribus concessam, usurpare facile debent, directa sunt. Laxior vero in his & similibus à DD. allegatis causis licentia superiorum potestatum est, quæ utuntur jure statuendi & condendi jura. His enim, si deprehendant id, quod à partibus petitur, et si juri usitato congruum sit, tamen Reipubl. quieti adversum, vel publicè scandalosum, vel pro ratione circumstantiarum inhumanum & iniquum esse, ex justa ratione non potest non esse permisum partes ad æquiora redigere. *Mevius discuss. lev. m. inop. debit. c. 2. n. 139. & sequ. Ayrer. in Proc. d. l. n. 15.* Hinc sane Principes interdum ejusmodi in casibus, quando partes nolunt cedere, faciunt Einen Macht-Spruch / contra quam sententiam Advocati sub certa poena nihil opponere possunt, quia tali in passu omnes circumstantiae à Principe exactè antea ponderantur, teste *Speidel. in Spec. Jurid. polit. sub rubro: Gütlicher Vergleich Macht-Spruch.*

## LXXXI.

Sed antequam finem Dissertationi huic imponam, pauca de fine subnectere lubet, qui post gloriam DEI, quæ meritò omnium actionum nostrarum scopus primarius esse debet, consistit in eo, ut litium aliquis sit finis & Respubl. salva. Quanquam enim lites privatorum saltē videntur flagellum, perverso Advocate invento duplicatum, & malo Judice triplicatum, redundat tamen omnis privatorum injuria omnino in publicum, arg. L. *Si quis 20. §. in civilibus I. ff. de Captiv. & postlim.* Quia impossibile est, ut Respubl. litigiis plena dici possit felix, quin potius mille miseriis supposita sit. Status enim & potentia civium litibus diminuitur, odia & difensiones oriuntur, omnia in maximas angustias reducuntur, maleficia & alia inconvenientia inseqvuntur; vid. *Vent. de Valent. l. I. c. 2. n. 12. Oldek. p. 63. n. 291. Sciagraphia Process. Judic. n. 66. Litt. RRR.* Quare prærido Principi studio erit curam agere, ne Respubl. detri-

men-

54.

mentum inde capiat. Sed quia hac de re Num. 64. quædam  
jam fuerunt dicta, pedem hic figo.

Quod reliquum est, DEO omnipotenti,  
pro auxilio, opellæ huic non minus inchoandæ  
quam consummandæ, gratiosè præstito, debi-  
tas atque submissas gratias persolvo; lectissi-  
mum verò honoratissimumque, Lectorem, ea,  
qua par est, humanitate rogatum volo, ut, si  
quid fortè omissum vel minus rectè dictum hic  
inveniet, id benevolentia sua supplere, mihi-  
que studiisque meis favere tanti putet. Red-  
dam in his atque similibus vicem, si repo-  
scet; reddam, & si non re-  
poscet.



